This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



600089953/

QUAESTIONES

DE

LIBRIS XENOPHONTEIS

DE REPUBLICA LACEDAEMONIORUM ET DE REPUBLICA ATHENIENSIUM

SCRIPSIT

AUGUSTUS FUCHS.

LIPSIAE
SUMPTUS FECIT SERIGIANA LIBRARIA
1838.

291. f. 7.

PROOEMIUM.

Miro quodam casu accidit, ut maxima pars eorum, quae a veteribus scriptoribus Xenophonti adiudicantur, librorum recentiore aetate a viris doctis, qui in iis recensendis ac diiudicandis elaboraverunt, ita impugnaretur, ut, si isti omnes ad veritatem disputassent, praeter Memorabilia, quae dicuntur, Socratis et Cyri Disciplinam (et ne hanc quidem integram) nihil fere maioris momenti relinqueretur Xenophonti. Quorum tamen virorum studium cognitioni litterarum Graecarum non exignae fuit utilitati propterea quod ea re plures alii viri docti ad rationes ab illis prolatas diligentius examinandas et accuratius vel probandas vel refellendas excitati sunt. Quamquam igitur horum virorum diligentia plura ex illis scriptis tam gravibus de causis Xenophonti iterum sunt adiudicata, ut de genuina eorum indole amplius dubitari vix liceat, restant tamen aliqua, quamquam non exigui momenti, tamen diu nimis neglecta scripta, de quorum auctore, indole ac forma adhuc quaedam dubitatio moveri possit, libellos dico de republica Lacedaemoniorum et de republica Atheniensium. Disseruit quidem de illo recentissimus eius editor, *Frider. Haase* (Berol. 1833.), tanta cum diligentia, tantaque cum artis criticae atque antiquarum et rerum et litterarum peritia, ut non facile

reperiatur, cui non persuaserit, librum, quem dico, non esse subditicium, sed re vera Xenophontis. Attamen ille vir doctus in sua disputatione alterius libri, qui est de republ. Atheniensium, de quo nequaquam adhuc satis constat, paucissimis tantum verbis mentionem fecit, ita ut dubitationem apud nos relinquat de ratione, quae sit inter utrumque librum. Alii enim fuerunt, qui dicerent, utrumque librum ab eodem Xenophonte esse profectum; alii, qui hos libros seiungerent dicerentque, alterum esse Xenophontis, alterum ab alio scriptore compositum; alii denique, qui utrumque librum Xenophontis esse negarent. Itaque, quum occasione oblata hanc quaestionem denuo tractandam aggressurus essem, utriusque libri causa primum seiungenda esse mihi visa est, et deinde demum inquirendum, num aliqua et quae inter utrumque sit ratio.

Quodsi vero in hac mea disputatione interdum a viris, quorum summa est in talibus rebus auctoritas, dissentiendum mihi erit, id ideo excusatum iri spero atque confido, quod omnis illa dissensio e veritatis, qua nihil habeo antiquius, studio nata est, tum vero etiam, quod nunquam viros ipsos, quos ea, qua decet, observantia colo, sed eorum tantummodo sententias impugnavi.

CAPUT I.

DE AUCTORE, INDOLE AC FORMA LIBRI DE REPUBL. LACEDAEMONIORUM.

1. *Veterum scriptorum de eo testimonia.*

Primum, ut a libro de republica Lacedaemoniorum quaestionis initium faciamus, quum iam per se minime improbabile sit, Xenophontem huius libelli auctorem fuisse, quem inter omnes constat institutorum Laconicorum non solum amantissimum, qua de re infra dicetur, verum etiam propter consuetudinem, qua cum nobilissimis eius civitatis viris semper erat coniunctus, omnium maxime gnarum fuisse, paene persuadetur nobis de hac re veterum scriptorum testimoniis, quorum huic, de quo quaeritur, libro tanta est copia, quanta fere nulli alii Xenophonteo non maioris molis libro.

Antiquissimum, ut videtur, testem habemus *Scholiastem* Cod. Ambros. Q. ad Hom. Od. IV, 65., quem codicem solum inter Ambrosianos *scholia continere melioris generis pleraque et in quibus haud paucae reperiantur et genuinae antiquiorum Grammaticorum reliquiae*, Buttmann (Scholia antiqua in Hom. Od. p. VIII.) testatur. Ille locum cap. huius libri XV, 4. (vel, ex Haasiana editione, XIII, 4.) his verbis citavit: *Λέγει δὲ καὶ Ξενοφῶν, διμοιρίαν* (sic emendavit Buttmann vulgatum *διμοίραν*) *δεδόσθαι τοῖς Λακεδαιμονίων βασιλεῦσι κ. τ. λ.* Habemus quidem alium

QUAESTIONES

DE

LIBRIS XENOPHONTEIS

DE REPUBLICA LACEDAEMONIORUM ET DE REPUBLICA ATHENIENSIUM

SCRIPSIT

AUGUSTUS FUCHS.

LIPSIAE
SUMPTUS FECIT SERIGIANA LIBRARIA
1838.

291. f. 7.

PROOEMIUM.

Miro quodam casu accidit, ut maxima pars eorum, quae a veteribus scriptoribus Xenophonti adiudicantur, librorum recentiore aetate a viris doctis, qui in iis recensendis ac diiudicandis elaboraverunt, ita impugnaretur, ut, si isti omnes ad veritatem disputassent, praeter Memorabilia, quae dicuntur, Socratis et Cyri Disciplinam (et ne hanc quidem integram) nihil fere maioris momenti relinqueretur Xenophonti. Quorum tamen virorum studium cognitioni litterarum Graecarum non exiguae fuit utilitati propterea quod ea re plures alii viri docti ad rationes ab illis prolatas diligentius examinandas et accuratius vel probandas vel refellendas excitati sunt. Quamquam igitur horum virorum diligentia plura ex illis scriptis tam gravibus de causis Xenophonti iterum sunt adiudicata, ut de genuina eorum indole amplius dubitari vix liceat, restant tamen aliqua, quamquam non exigui momenti, tamen diu nimis neglecta scripta, de quorum auctore, indole ac forma adhuc quaedam dubitatio moveri possit, libellos dico de republica Lacedaemoniorum et de republica Atheniensium. Disseruit quidem de illo recentissimus eius editor, *Frider. Haase* (Berol. 1833.), tanta cum diligentia, tantaque cum artis criticae atque antiquarum et rerum et litterarum peritia, ut non facile

reperiatur, cui non persuaserit, librum, quem dico, non esse subditicium, sed re vera Xenophontis. Attamen ille vir doctus in sua disputatione alterius libri, qui est de republ. Atheniensium, de quo nequaquam adhuc satis constat, paucissimis tantum verbis mentionem fecit, ita ut dubitationem apud nos relinquat de ratione, quae sit inter utrumque librum. Alii enim fuerunt, qui dicerent, utrumque librum ab eodem Xenophonte esse profectum; alii, qui hos libros seiungerent dicerentque, alterum esse Xenophontis, alterum ab alio scriptore compositum; alii denique, qui utrumque librum Xenophontis esse negarent. Itaque, quum occasione oblata hanc quaestionem denuo tractandam aggressurus essem, utriusque libri causa primum seiungenda esse mihi visa est, et deinde demum inquirendum, num aliqua et quae inter utrumque sit ratio.

Quodsi vero in hac mea disputatione interdum a viris, quorum summa est in talibus rebus auctoritas, dissentiendum mihi erit, id ideo excusatum iri spero atque confido, quod omnis illa dissensio e veritatis, qua nihil habeo antiquius, studio nata est, tum vero etiam, quod nunquam viros ipsos, quos ea, qua decet, observantia colo, sed eorum tantummodo sententias impugnavi.

CAPUT I.

DE AUCTORE, INDOLE AC FORMA LIBRI DE REPUBL. LACEDAEMONIORUM.

1. *Veterum scriptorum de eo testimonia.*

Primum, ut a libro de republica Lacedaemoniorum quaestionis initium faciamus, quum iam per se minime improbabile sit, Xenophontem huius libelli auctorem fuisse, quem inter omnes constat institutorum Laconicorum non solum amantissimum, qua de re infra dicetur, verum etiam propter consuetudinem, qua cum nobilissimis eius civitatis viris semper erat coniunctus, omnium maxime gnarum fuisse, paene persuadetur nobis de hac re veterum scriptorum testimoniis, quorum huic, de quo quaeritur, libro tanta est copia, quanta fere nulli alii Xenophonteo non maioris molis libro.

Antiquissimum, ut videtur, testem habemus *Scholiastem* Cod. Ambros. Q. ad Hom. Od. IV, 65., quem codicem solum inter Ambrosianos *scholia continere melioris generis pleraque et in quibus haud paucae reperiantur et genuinae antiquiorum Grammaticorum reliquiae*, Buttmann (Scholia antiqua in Hom. Od. p. VIII.) testatur. Ille locum cap. huius libri XV, 4. (vel, ex Haasiana editione, XIII, 4.) his verbis citavit: *Λέγει δὲ καὶ Ξενοφῶν, διμοιρίαν* (sic emendavit Buttmann vulgatum *διμοίραν*) *δεδόσθαι τοῖς Λακεδαιμονίων βασιλεῦσι κ. τ. λ.* Habemus quidem alium

Xenophontis locum huic similem (Agesil. V, 1.), quem fortasse aliquis Scholiastae ante oculos obversatum esse dicat. Id tamen minus probabile esse videtur. Nimirum nostro loco nos docet Xenophon, Spartanorum reges duplicem in epulis communibus cibum accepisse, illo autem Agesilai loco hunc morem tanquam omnibus iam notum ponens, narrat tantum, quomodo Agesilaus illo duplici, quem acceperit, cibo usus fuerit, itaque potius illum nostrum locum respexisse videtur.

Polybium, magni sane ponderis scriptorem, cuius libr. VI. cap. 43. attulit Zeune, quem secuti sunt Weiske et Schneider, nostrae causae testem esse non posse, evidenter ostendit Haase, prolegg. p. 4.

Neque vero exigui momenti testimonium est ***Plutarchi***, qui Lycurgi vitam componens cum plurimis locis hoc nostri scriptoris libro usus est, tum vero etiam Xenophontem ipsi auctorem fuisse aperte dicit his verbis (cap. 1.): *δίδωσι δὲ καὶ Ξενοφῶν ὑπόνοιαν ἀρχαιότητος, ἐν οἷς τὸν ἄνδρα λέγει γεγονέναι κατὰ τοὺς Ἡρακλείδας*, ubi respicit nostri libri cap. X, 8. (Haasio X, 5.): *ὁ γὰρ Λυκοῦργος κατὰ τοὺς Ἡρακλείδας λέγεται γενέσθαι.*

Nec spernenda est auctoritas ***Julii Pollucis***, qui seculo p. Chr. n. secundo vixit et nonnullis locis Xenophontem eius, de quo quaestionem instituimus, libri scriptorem dicit, v. c. l. VI, 143.: *καὶ ὡς Ξενοφῶν ἐν Λακώνων πολιτείᾳ, αὐτοσχεδιαστής.* Ad quae verba quod Iungermann addit, non est negligendum: „***In MS. desunt*** *καὶ ὡς Ξενοφῶν ἐν Λακώνων πολιτείᾳ.* ***Locus est in libello inscripto*** *Λακεδαιμονίων πολιτείᾳ* ***plusculum a fine*** [est ille cap. XIII, 5, Haasio c.

XIV, 5.]: τοὺς μὲν, ait Xenophon, ἄλλους αὐτοσχεδιαστὰς εἶναι τῶν στρατιωτικῶν, Λακεδαιμονίους δὲ μόνους τῷ ὄντι τεχνίτας τῶν πολεμικῶν. *Notandum autem hoc, quum alias Noster sibi caveat diligenter, ne sine admonitione relinquat, si quid* οὐ γνήσιον, Λακεδαιμονίων γὰρ πολιτείαν φησὶν οὐκ εἶναι Ξενοφῶντος ὁ Μάγνης Δημήτριος *apud Laërtium lib. II. Noster itaque hic non dubitavit, mox verte libros* περὶ ἀληθείας *et* ῥητορικὰς τέχνας *laudans Xenophontis, spuria videri ea ait et alius patris.*“ Quod autem illa verba, quibus solis nostra causa nititur, in Cod. Iungermanniano omissa sunt, id nemini offensioni esse debet; est enim ille codex, ut Iungermann ipse dicit, *saepissime mutilatus et in testimoniis Autorum decurtatus.* — Sic quoque idem Pollux (II, 120.) vocem αἰσχρολογία, quae nisi in nostri libri cap. V, 6. nusquam apud Xenophontem legitur, tanquam Xenophontis profert: αἰσχρολογία ὡς Ξενοφῶν. Accedunt denique aliae nonnullae voces, quas Pollux tanquam Xenophontis laudat, in quibus, quum eae bis apud nostrum scriptorem, et in eo libro, de quo agitur, et in aliorum uno legantur, dubium relinquitur, utrum in iis proferendis nostrum librum respexerit, an alterum, in quo reperiuntur.

Etiam *Longinus*, qui tertio p. Chr. n. seculo vixit, libri de republ. Lacedaemoniorum auctorem citat Xenophontem, quum in libello περὶ ὕψους IV, 4. dicit: Τί δεῖ περὶ Τιμαίου λέγειν, ὅπου γε καὶ οἱ ἥρωες ἐκεῖνοι (Ξενοφῶντα λέγω καὶ Πλάτωνα) καὶ τοί γ' ἔκ τε Σωκράτους ὄντες παλαίστρας, ὅμως διὰ τὰ οὕτως μικροχαρῆ ἑαυτῶν ποτε ἐπελάνθανον; Ὁ μέν

Λακεδαιμονίων πολιτείαν, ἣν φησιν οὐκ εἶναι Ξενοφῶντος ὁ Μάγνης Δημήτριος.

Huius autem Demetrii Magnesii, qui Ciceroni fuit aequalis et librum de cognominibus scriptoribus composuit (cf. Athen. XIII, p. 611. b. Plut. Dem. 15.) auctoritatem non adeo magnam esse, intelligimus ex verbis Dionysii Halicarnassensis, qui de Dinarcho sic scribit (vol. II. p. 112. ed. Sylburg): *Ἀλλὰ Δημήτριος* [ita iam pridem rectissime restitutum est pro *Δῆμος*, quod Codd. habent] *ὁ Μάγνης, ὃς ἔδοξε γενέσθαι πολυΐστωρ, ἐν τῇ περὶ τῶν ὁμωνύμων πραγματείᾳ λέγων καὶ περὶ τούτου τοῦ ἀνδρὸς (Δεινάρχου) καὶ ὑπόληψιν παρασχών, ὡς περὶ αὐτοῦ λέξων τι ἀκριβές, διεψεύσθη τῆς δόξης.*

2. *Recentiorum criticorum dubitationes.*

Quod Demetrii iudicium, si aliquam habuisset auctoritatem, certo non ita fuisset neglectum, ut longum per tempus nemo exsisteret, qui ei argumentis vel confirmando vel etiam refellendo operam daret. Primum enim inter recentiores criticos ***Valckenarium*** de nostro libro dubitationem movisse putant, quamvis ille non aperte se eum inter subditicios, quos putat, Xenophontis libros referre dicat. Scribit enim ad Memorabilium initium ita: „***Quae vulgata prostat ut Xenophontis Σωκράτους ἀπολογία, est illa hoc ingenio capitali, si quid iudico, prorsus indigna, ab eodem conflata, cui finem Cyropaediae debemus et alia quaedam, quae vulgo leguntur ut Xenophontea.***“

Apertius de ea re dixit ***Heyne*** in Commentatt. societatis Gottingensis vol. IX, p. 12. not.: „***Omnem***

quaestum interdictum et numorum usum solo ferro relicto vetitum narrat Xenophon de republ. Lacedaemoniorum c. VII, quae vereor, ne sophistae acumine potius, quam scriptoris fide tradita sint.“ Ibid. p. 38.: „*Ex hoc fonte profectas esse puto miras laudes, quibus illa impertit auctor libelli de republ. Lacedaemoniorum, si modo Xenophon ille fuit, nec aliquis sophista.*“ Addit etiam argumenta quaedam, quibus suam sententiam muniat, quae num satis firma sint atque idonea infra videbimus.

Heynium secutus est *Manso* in eo, quem de rebus Laconicis scripsit, libro, vol. I. p. 2. pag. 74.: „*Dass Xenophon über den Lacedämonischen Staat geschrieben hat, und Plato und andere dieses ächte Buch von ihm lasen, leidet keinen Zweifel, aber damit ist noch nicht bewiesen, dass wir das nämliche Buch in den Händen haben.*“ Hic quoque vir doctus argumenta deinde affert, quae sententiam ab ipso prolatam probabilem reddant, de quibus infra dicetur.

Weiske, magnopere primum dubitans de nostro libro quid sit statuendum, firmioribus deinde argumentis commotus Xenophonti eum adiudicavit, ita tamen, ut eum non plane integrum sibi videri diceret, pluraque sibi offensioni esse confiteretur. In nulla parte ei non assensus est *Schneider*.

Delbrueck quoque in libro, quem anno huius seculi XXIX. in lucem edidit sub titulo: „*Xenophon. Zur Rettung seiner durch B. G. Niebuhr gefährdeten Ehre dargestellt*,“ quo tamen in nonnullis partibus subtilius quam verius disputasse mihi videtur,

nostrum librum Xenophontis esse negat (p. 147.): „*In Anselung des Verfassers pflichte ich denen bey, welche es dem Xenophon absprechen, aus Gründen, in deren Erörterung ich nur dann glauben würde eingehen zu müssen, wenn jemand die Echtheit des Werkes mit Zuversicht behauptete, und hievon Anlass nähme, den Xenophon parteyischer Vorliebe für Lacedämon zu beschuldigen.*“ Vehementer doleo, virum doctum nobiscum communicare noluisse causas, quae eum commoverunt ad hunc librum Xenophonti abiudicandum; fortasse enim nova argumenta ab aliis adhuc intacta protulisset.

Denique etiam alii nonnulli, quorum non intererat accuratius de nostro libro inquirere, ut *Heindorf* ad Platon. Protag. p. 581., *Bernhardy*, Syntax p. 223. 453. et *Wuestemann* ad Theocrit. XXIV, 78. librum de republ. Lacedaemoniorum tanquam alius auctoris laudant, et *Wolf* quoquè, ut tradit Guertler (Vorlesungen über die Alterthumswissenschaft von Fr. Aug. Wolf vol. II. p. 296.) dubitationes de eo nasci ait.

3. *De consilio, quod scriptor sibi proposuerit. Refelluntur recentiorum criminationes.*

Omnium autem primum, ut recta ratione de hoc nostro scripto iudicare possimus, quaerendum est, quod in eo componendo consilium sibi proposuerit scriptor. Quod sane mirum est eorum, qui de hoc libro disputarunt, nonnullos tantum, nominatim Camerarium, Franciscum Portum, Christianum, qui a. h. s. XXX hunc librum in Germanicum sermonem translatum edidit, Haa-

sium, et quodammodo etiam Delbrueckium *), recte intellexisse, alios vero prorsus fugisse, quamquam cum ex iis verbis, quae statim in principio sunt posita, luculentissime apparet, tum totum librum legentem vix potest latere. Dicit enim scriptor cap. I, 2. fere ita: Lycurgum, qui Lacedaemoniis illas leges, quibus quamdiu obsequebantur felices fuerunt, tulit, et admiror, et omnium maxime sapientem (εἰς τὰ ἔσχατα μάλα σοφόν) fuisse arbitror. Ille enim non imitando ceteras civitates, sed potius ab earum plurimis dissentiendo patriam felicitate excellentem reddidit. Nam, ut ab initio incipiam — et iam singula Lycurgi instituta, quae effecerint, ut tanta felicitate frueretur Lacedaemoniorum civitas, recensentur maximisque ornantur laudibus. Unde luce clarius apparet, libelli auctorem, quisquis ille fuit, sive Xenophon, sive alius quis, nihil aliud in mente habuisse, nisi ea Lacedaemoniorum instituta, quae rempublicam illam ad tantum felicitatis gradum adduxerint, recensere eorumque praestantiam maximis laudibus efferre, simulque, quum ea plurimarum aliarum civitatum institutis essent contraria, haec reprehendere illaque commendare imitanda, unde factum est, ut ea instituta, quae reprehendi poterant, aut defenderentur, aut omnino omitterentur. Itaque, quum appareat, scriptorem minime sibi propositum habuisse, reipublicae institutorumque Laconicorum historiam nobis tradere, vel de rebus dubiis temporumque vetustate obscuris diligentem instituere quaestionem, non debemus supponere auctori consilium,

*) Rectissime de eo iudicavit etiam Wachsmuth, vir doctiss., cuius infra afferam iudicium.

quod non habuit, neque ab eius scripto poscere, ut nos doceat, quae docere nec voluit, nec etiam potuit. Iam vero etiam apparebit, Heynii, Mansonis, Weiskii criminationes esse iniquas et easdem parum firmas.

Quod enim, ut singula videamus paucisque illustremus, *Heyne* (l. l.) dicit, narrationem de quaestu et auri argentique usu lege interdicto sophistae potius acumine, quam scriptoris fide traditam esse, licere enim dubitare, an id unquam obtinuerit, id omnium minime aliquam de nostri auctoris fide suspicionem movere potest. Lycurgum enim aut certe alium quendam veterem legislatorem re vera nonnisi ferreae pecuniae usum permisisse, in eo cum omnis antiquitas consentit (cf. v. c. Plut. Lyc. IX, 2.; Lysand. XVII.; Aelian. V. H. XIV, 29.; Nicol. Damasc. ap. Stob. Serm. XLII.; Polyb. VI, 49, 8.; Iustin. II, 2. al.), tum vero etiam recentiore aetate plerisque viris in antiquitatis historia optime versatis illud probatum est (v. v. c. Boeckh, Staatshaushaltung der Athener II, 137.; Heeren, Ideen III, 1. p. 294.; Mueller, Dorier II, 205.; Raumer, Vorlesungen über die alte Geschichte I, 237. al.).

Maioris momenti est alterum illud, quod idem scriptori nostro crimini dat, quod scilicet, quum per totum librum omnia Lacedaemoniorum instituta amplissimis ornaverit laudibus, ita ut bona tantum, quae in instituto quoque essent aut inde proficisci possent, prolixe exponeret, eorum prorsus oblitus, quae mala iisdem institutis subessent, praeter omnem exspectationem cap. XIV. adiiciat, instituta Lycurgi nequaquam adhuc religiose servari, omnia esse mutata et adhuc mutari; nullam igitur fuisse causam, cur antea tantis laudibus ea celebra-

ret. Haec tamen argumentatio partem tantummodo libelli, nempe caput illud XIV, quod reliquae libri parti videatur repugnare, in suspicionem potest vocare. Qua de re, quum accuratiorem requirat quaestionem, infra disputabitur.

Venio iam ad *Mansonis* dubitationem (l. l.), cuius omnis criminatio nititur in eo, quod dicit, scriptorem plura adscripsisse Lycurgo, quae ei non fuerint tribuenda, qua in re cum eo consentit Weiske (prolegg. ad libr. de rep. Lacedd. p. 5. 6.), qui tamen aequius de hoc, quod putat, vitio scriptoris iudicat. Verum est, scriptorem illud fecisse. Nec mirum. Satis enim constat, Graecos in universum, quae ipsis essent instituta salubria, aut quae in quovis artium vel doctrinarum genere, diversis licet temporibus a diversis hominibus, praeclare essent facta, ea lubentissime uni prisci temporis viro, cuius nomen (ut fere in epica poësi Homeri, in architectura Daedali et Smilidis, in legumlatione Lycurgi) eo quasi rei, in qua excelluit, nomen fiebat, tribuisse. Multo autem magis nostri libri auctorem, qui nihil curavit, nisi salubria Lacedaemoniorum instituta commendare, ea omnia eidem Lycurgo, legumlatori scilicet omnium sermone maximopere celebrato, cui maximam certe eorum partem debebant, adscribere consentaneum erat, praesertim quum, quod iam dictum est, nullam de rebus dubiis quaestionem instituere in mente haberet, quod vel inde colligi potest, quod ne de tempore quidem, quo vixit Lycurgus, accurate dixit, sed quasi fando tantum auditum narrat: *κατὰ τοὺς Ἡρακλείδας λέγεται γενέσθαι*. Atque etiamsi istud studuisset, tamen facile potuisset errare in re difficillima, primum propter illud,

quod significavi, Graecorum studium, et deinde, quia, quum Lycurgi leges non essent scriptae, facile iis ita potuerunt admisceri praecepta et antiquiora et recentiora, ut seriori aetate secerni fere nequirent.

Quod Manso porro dicit, plura praecepta, inprimis ea, quae puerorum educationem spectent, esse tam levia et exigua, ut nullo negotio ea hominis esse appareat, qui non rudi, sed molli aetate vixerit scholisque philosophorum Athenis fuerit institutus, ea quae dicat instituta, accuratius indicasset vellem. Illa enim ipsa praecepta puerorum disciplinam spectantia mihi quidem maxima ex parte sapientissime instituta esse videntur, quum maxime sint accommodata ad adolescentes quondam modestos, iustos atque fortes cives reddendos, et si qua inter ea sunt, quae leviora videantur, illud ipsum est sapientissimi viri, qui ne levissimas quidem res negligit, sed ex omnibus fructum capere scit.

Ultima quoque Mansonis accusatio, ab eo, qui hunc librum legat, cautionem esse adhibendam, ne facilius fidem ei habeat, quia, quamquam saepius iis, quae ab aliis memoriae sint prodita, comprobandis inserviat, tamen raro aliquis eo auctore locuplete uti possit, haec, inquam, accusatio, tunc tantum in nostrum scriptorem caderet, si historiam scribere voluisset, quod consilium ab eo alienum fuisse satis ostendisse mihi videor. Ceterum etiam quae scriptor nostro libro tradit, maximam partem aliorum veterum scriptorum testimoniis tanquam Lycurgi instituta confirmantur, aut, quae ab aliis tradita non sunt, ita sunt comparata, ut optime congruant cum omni Lycurgicae legislationis indole atque igitur in dubitationem vocari fere nequeant.

Alius quodammodo generis, sed aeque vana nec magis iusta est *Weiskii* eumque secuti *Schneideri* criminatio. Attingit enim illa non ea, quae dixit, sed ea, quae non dixit scriptor. Nempe Weiske lacunas quasdam deprehendisse sibi visus est, opinatus, scriptorem nonnulla omisisse, quae non fuissent omittenda. At haec quoque criminatio eo diluitur, quod, ut iam monui, integram rerum civilium cognitionem, cui nulla pars deesse debeat, nobiscum communicare noluit. Ceterum primum istud, quod Weiske dicit, non transeundam fuisse educationem infantium, quam quomodo instituerit legislator narrat Plutarchus (Lyc. 16.), id rectissime omisisse mihi videtur scriptor animo in homines benigno et amico, qui quum praeclarissima tantum Lycurgi instituta laudibus efferre vellet, minus probanda autem omitteret, non apte crudelem illam rationem firmitatis recens natorum probandae commemorare potuit.

Ex eadem praeterea ignoratione veri consilii nostri scriptoris profectum existimandum est, quod Weiske crimini dat auctori, eum laudatorem potius agere, quam philosophum aut historicum. Quod ut refutetur ne uno quidem verbo eget. De eo vero, quod Weiskio quoque caput XIV suspectum est visum, infra dicetur.

Hae fere sunt eae nostri scriptoris criminationes, quae inde sunt ortae, quod viri docti non satis cognitum et perspectum habebant consilium, quod in hoc libro componendo secutus est scriptor, quare illae criminationes per se tolluntur, si ea ratione hunc librum consideramus, qua considerandum esse tum scriptor ipse, ut diximus, profitetur, tum ex tota libri indole sponte intelligitur. Iam Xenophonti salus est speranda. Nam

praeter ea, quae modo paucis perlustravimus, nihil fere est, quod contra argumentum nostri libri protulerint adversarii. Tam certo autem mihi persuasum est, Xenophonti librum de republica Lacedaemoniorum esse vindicandum, ut non solum eo defendendo, sed etiam adversarios aggrediendo quaestionem prosequi posse mihi videar. Prius vero nonnulla de Xenophontis ingenio dicantur necesse est.

4. *De Xenophontis ingenio eiusque studio Lacedaemoniorum.*

Optime vero illud dignoscitur, si id unum probe memoria tenemus, fuisse Xenophontem philosophum et Socratis quidem discipulum. In omnibus eius scriptis hunc eum agnoscimus; nam ubique, omnium maxime in Memorabilibus, quae dicuntur, Socratis et in Cyri Disciplina, tres illas virtutes, quae Socrati fuerunt primariae, diligentissime commendat, iustitiam dico cum pietate erga deos coniunctam, modestiam, fortitudinem. Ubique has virtutes et universam disciplinam Socraticam ad usum actionemque convertere studet; ubique eum mores emendandos spectare videmus; ubique hominum, quos nobis proponit, virtutes et vitia illustrat, ut illas imitemur, haec fugiamus; ubique diligentem et peritum humanae vitae contemplatorem eum cognoscimus, qui, quacunque ratione potest, salutaribus praeceptis eam emendare studet, et ne levissimas quidem res spernit, modo ei, quod sibi proposuit, inservire possint. Huc accedit, quod tantam rei militaris peritiam tantamque gerendae reipublicae scientiam sibi comparaverat, ut non facile tum reperiretur, qui Xenophonte rectius perspiceret

omnem rerumpublicarum, quae tum erat, rationem atque condicionem iustiusque cerneret, quid utile esset reipublicae et quid perniciosum, meliusque intelligeret, qui esset status rei militaris quique foret bellorum, quae Graeci gesserunt adversus Graecos, exitus et eventus.

Illas autem, quas diximus, virtutes non posse religiose servari putabant Socratici in rebuspublicis, quae sempiternis conversionibus et dissidiis ita perturbatae essent, ut effrenata licentia inconstantis plebis vix comprimi, nec iustitia ac fides convalescere posset, quales tum fuerunt Athenae, sed in iis tantummodo civitatibus, ubi penes unum aut penes paucos nobiles esset omnium summa rerum, *μόνη γὰρ δή*, inquit Xenophon in nostri ipsius libri cap. XV, 1., *αὕτη ἡ ἀρχὴ διατελεῖ, οἵαπερ ἐξ ἀρχῆς κατεστάθη· τὰς δὲ ἄλλας πολιτείας εὕροι ἄν τις μετακεκινημένας καὶ ἔτι νῦν μετακινουμένας.* Et hanc quidem rationem, a qua nusquam desciscit Xenophon, luculentissime proponit in Cyri Disciplina, qua sub Cyri imagine exemplar perfectissimi principis ex Socratis praeceptis instructi, qui re vera pater esset suorum populorum, rationi Atheniensium populari opponere voluit.

Hae vero sententiae non potuerunt non Socraticorum animos paululum abalienare ab Atheniensium republica et inclinare ad Lacedaemonios, quorum regnum tum inter omnia erat firmissimum sapientissimeque constitutum. Ita enim erant Lycurgi leges comparatae, ut, quam Socratici perfectissimae reipublicae speciem cogitatione complecterentur, eam illius legibus et institutis paene effici putarent; namque facile apparet, illa Lycurgi instituta et civilia et militaria totamque puerorum

disciplinam nihil aliud spectare, nisi illas ipsas virtutes, quas Socrati primarias fuisse diximus. Quo factum est, ut cum plerique omnes philosophi, qui de optima rerumpublicarum forma quaererent, tum Socratici in Lacedaemoniorum civitatis laude uno ore consentirent. Ac Plato quoque, cui nondum prorsus illam perfectam speciem, quam animo informaverat, assequi videbatur, tamen sibi ipsi rempublicam fingens, plurimis rebus eam simillimam fecit Laconicae, ita ut facile videamus, hanc ei etsi non perfectam, tamen non longe a perfectione abesse visam esse.

Omnium autem eius amantissimus simulque maxime gnarus fuit Xenophon, qui cum in ceteris omnibus scriptis semper maximis laudibus eam effert, tum Cyri Disciplina omnia fere eius instituta in suos Persas, quos finxit omnibus ex partibus optimos cives, transtulit. Nam quum id ei contigisset, ut nobilissimis et praeclarissimis Laconicae reipublicae civibus, inprimis Agesilao, a cuius latere nunquam, ne in pugna quidem ad Coroneam, discessit, familiarissime uteretur, factum est, ut, quo accuratius singula instituta cognosceret eorumque consensum cum Socratica disciplina intelligeret, eo pluris ea aestimaret*), ita ut nimium Spartanorum studium — quidquid contradicat Delbrueck — eum adeo interdum iniquum in patriam reddidisse, id quod praecipue ex Graeca eius Historia nullo negotio intelligitur,

*) Nam ὥςπερ οἱ ἰδιῶται τῶν ἰδιωτῶν διαφέρουσιν ἀρετῇ οἱ ἀσκοῦντες τῶν ἀμελούντων, οὕτως καὶ ἡ Σπάρτη εἰκότως πασῶν τῶν πόλεων ἀρετῇ διαφέρει, μόνη δημοσίᾳ ἐπιτηδεύουσα τὴν καλοκἀγαθίαν, ut Xenophon cap. nostri libri X, 4. ipse dicit.

negari nequeat. Huc accedit, quod dilectissimi magistri, qui Atheniensium iniuria ei fuerat ereptus, acerbam mortem et exsilium, quo ipse ab iisdem Atheniensibus propter expeditionem adversus Persarum regem illis tum amicum mulctatus fuerat (quam tamen ad rem haud dubie aliquid contulit invidia civium propter nimium eius Lacedaemoniorum studium), graviter tulit. Cuius tamen adversae fortunae Lacedaemonii ei damnum praestiterunt eo, quod non solum hospitio eum exceperunt, verum etiam, teste Dinarcho apud Diogenem Laërtium, agrum ei Scillunte dono dederunt.*)

5. *Libri, de quo quaeritur, argumentum bene congruit cum Xenophontis ingenio.*

Iam vero videndum est, num quae nostro libro exposita sunt congruant cum hoc, quod paucis indicare studui, Xenophontis ingenio. Argumentum in universum ei accommodatissimum esse, ex supra dictis apparet; nam quod totus liber nihil continet nisi Laconicorum institutorum laudes et commendationem, id optime quadrat in nostrum Xenophontem, quem diximus rerum Laconicarum fuisse maxime gnarum et amantem, atque ubique mores hominum commendatione virtutis emendandos spectare. Sed singulae etiam quaeque partes egregie consentiunt cum eius indole, quum nihil nisi σωφρο-

*) Wachsmuth (Hellenische Alterthumskunde I, 2, 315.): „*Xenophon sah Vollkommenheit des Staatswesens in dem Vorstande eines tugendhaften Fürsten; seine Theorie ist in der Kyropaedie enthalten; in der Wirklichkeit fand er im Staate von Sparta, was ihn befriedigte; da er hier nicht schöpferisch gestalten konnte, ward er wenigstens Lobredner der Verfassung und Waffengenoss spartiatischer Helden.*“

σύνην et καλοκἀγαθίαν, i. e. iustitiam, modestiam atque fortitudinem, eas spectare, nemo librum diligenter perlegens non videt. Quum tamen longum sit, hos omnes singulos locos nunc inquirere, satis habemus, potiores tantum, et eos quidem, quibus agnoscamus necesse est nostrum Xenophontem, colligere atque quosque cum iis, quae alibi de eadem re dicit Xenophon, conferre.

Primum, ut ex ordine incipiam, statim cap. I, 3. Xenophon perstringit ceteros Graecos, quod puellas nihil aliud facere, nisi lanam tractare vellent, unde sperare non liceret, fore, ut illae quondam aliquid magnifici parerent. De eadem re etiam alibi queritur Xenophon, ea enim, etsi levior videatur, fortitudo cohibetur: Oecon. VII, 6.: οὐ γὰρ ἀγαπητόν σοι δοκεῖ εἶναι, εἰ μόνον ἦλθεν ἐπισταμένη ἔρια παραλαβοῦσα ἱμάτιον ἀποδεῖξαι, καὶ ἑωρακυῖα, ὡς ἔργα ταλάσια θεραπαίναις δίδοται; Cf. ibid. X, 10.

Cap. II. accurate exponit scriptor educationem puerorum, cuius capitis singulos locos, quum Xenophon ubique et constanter eandem exercitationem in labore patientiaque corporis studiosissime commendet, non est, quod cum aliorum librorum locis conferamus. Id unum commemoremus, Xenophontem non solum in hoc libro (§. 13.) Boeotos et Eleos accusare, quod turpi puerorum consuetudine uterentur, illos quidem quasi iusti matrimonii specie, hos autem gratiae nomine, sed eandem ob rem eosdem etiam alibi accusat, ut Conviv. VIII, 34.: καὶ μαρτύρια δὲ ἐπήγετο, ὡς ταῦτα ἐγνωκότες εἶεν καὶ Θηβαῖοι καὶ Ἠλεῖοι· συγκαθεύδοντας γοῦν αὐτοῖς ὅμως παρατάττεσθαι ἔφη τὰ παιδικὰ εἰς τὸν ἀγῶνα. ἐκείνοις μὲν γὰρ ταῦτα νόμιμα, ἡμῖν δ' ἐπονεί-

διστα, et statim infra e contrario castum Lacedaemoniorum amorem iisdem fere laudibus, quibus nostro loco, effert. Ceterum totam hanc de puerorum amoribus disputationem Socraticam esse, iam Franciscus Portus agnovit, qui ita scribit: „*Summa istius loci illa est, amores puerorum non turpes et obscoenos fuisse, sed castos atque sanctos, ita ut damnet Xenophon aliarum civitatum mores, apud quos amor in pueros non ita sancte et caste coleretur; permisisse itaque Lycurgum, ut si quis pueri animum admiratus cuperet, se in eius amicitiam insinuare, hoc ei facere liceret. Quodsi esset, qui ultra istas metas vellet progredi et attrectare etiam ipsa corpora, hunc vero ut nefarium et scelestum et detestandum haberi iussit. Haec autem tota disputatio Platonica est et Socratica. Plato enim passim ex Socratis sententia commendat et celebrat hunc amorem, inprimis in Phaedro, in Convivio et in libris de Republica.*“ Xenophon quoque multus est in hac re: Memor. Socr. I, 3, 8. sqq.; Conviv. VIII. etc.

Porro illam verecundiam illumque pudorem, qui cap. III, 4. 5. commendatur, alibi quoque in Lacedaemoniis laudat Xenophon, v. c. Memor. III, 5, 15: *πότε γὰρ οὕτως Ἀθηναῖοι ὥσπερ Λακεδαιμόνιοι πρεσβυτέρους αἰδέσονται*;

Quod scriptor cap. IV, 2. dicit, eos, quibus aemulatio intercedat, inprimis visu et laude digna certamina gymnica exhibere, ea sententia est frequentissima apud Xenophontem, qui ubique maxime commendat et laudat aemulationem; cf. v. c. Cyrop. II, 1, 22.: *ἐννοήσας, ὅτι περὶ ὁπόσων ἂν γένωνται ἀνθρώποις φιλονεικίαι,*

πολὺ μᾶλλον ἐθέλουσι ταῦτα ἀσκεῖν. Ibid. VII, 1, 18.: ὅπως δὲ κράτιστοι φανῆτε τῶν ἐπὶ τοῖς ἅρμασι, φιλονεικίαν αὐτοῖς ἐμβαλλε. Ibid. VIII, 2, 26.: ὧν δὲ προηγόρευέ τε ἀγῶνας, καὶ ἆθλα προυτίθει, φιλονεικίας ἐμποιεῖν βουλόμενος περὶ τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν ἔργων, ταῦτα τῷ μὲν Κύρῳ ἔπαινον παρεῖχεν, ὅτι ἐπεμέλετο, ὅπως ἀσκοῖτο ἡ ἀρετή· τοῖς μέντοι ἀρίστοις οἱ ἀγῶνες οὗτοι πρὸς ἀλλήλους καὶ ἔριδας καὶ φιλονεικίας ἐνέβαλλον. Agesil. II, 8.: ἔτι δὲ φιλονεικίαν ἐνέβαλε πρὸς ἀλλήλους τοῖς μετ' αὐτοῦ, ὅπως ἕκαστοι αὐτῶν ἄριστοι φαίνοιντο etc.

Cap. IV, 7. venatio commendatur, quam exercuisse dicuntur viri Lacedaemonii. Cuius exercitationis tam studiosus erat Xenophon, ut singularem libellum de ea componeret (cf. praecipue eius cap. XII.), et saepe maxime eam commendaret maximisque laudibus ornaret, v. c. Cyrop. I, 2, 10.: διὰ τοῦτο δὲ δημοσίᾳ τοῦ θηρᾶν ἐπιμέλονται, καὶ βασιλεὺς, ὥσπερ καὶ ἐν πολέμῳ, ἡγεμὼν αὐτοῖς ἐστι, καὶ αὐτός τε θηρᾷ, καὶ ἄλλων ἐπιμελεῖται, ὅπως ἂν θηρῶσιν, ὅτι ἀληθεστάτη αὐτοῖς δοκεῖ αὕτη ἡ μελέτη τῶν πρὸς τὸν πόλεμον εἶναι· καὶ γὰρ πρωΐ ἀνίστασθαι ἐθίζει, καὶ ψύχη καὶ θάλπη ἀνέχεσθαι κ.τ.λ. Ibid. VIII, 1, 34. sqq.: τῆς πολεμικῆς δ' ἕνεκα ἀσκήσεως ἐπὶ θήραν ἐξῆγεν, οὕσπερ ἀσκεῖν ταῦτα ᾤετο χρῆναι· ταύτην ἡγούμενος καὶ ὅλως ἀρίστην ἄσκησιν πολεμικῶν εἶναι, καὶ ἱππικῆς δὲ ἀληθεστάτην — et iam multis exponuntur commoda, quae afferat venatio. Ipse Xenophon exsulans διετέλει κυνηγετῶν καὶ τοὺς φίλους ἑστιῶν, ut Diogenes Laërtius narrat (vit. Xen. VIII, 52.), et eius filii quoque Scillunte venationem exercuerunt, ut ipse testatur (Anab.

V, 3, 10.): *καὶ γὰρ θήραν ἐποιοῦντο εἰς τὴν ἑορτὴν· οἵ τε Ξενοφῶντος παῖδες καὶ οἱ τῶν ἄλλων πολιτῶν· οἱ δὲ βουλόμενοι καὶ ἄνδρες συνεθήρων.*

Temperantiam, quae cap. V. laudatur, ubique commendat; copiosius de ea re exposuit nominatim Mem. I, 5. — Eadem quoque sententia, quae cap. V, 4. reperitur, *τὰς οὐκ ἀναγκαίας πόσεις σφάλλειν μὲν σώματα, σφάλλειν δὲ γνώμας*, saepius et iisdem fere verbis expressa legitur apud Xenophontem, v. c. Cyrop. I, 3, 10.: *ὑμᾶς ἑώρων καὶ ταῖς γνώμαις καὶ τοῖς σώμασι* (per ebrietatem scilicet) *σφαλλομένους.* Ibid. VIII, 8, 10.: *νομίζοντες, τῷ μὴ ὑπερπίνειν ἧττον ἂν καὶ σώματα καὶ γνώμας σφάλλειν.* Conviv. II, 26.: *οὕτω δὲ καὶ ἡμεῖς ἦν μὲν ἀθρόον τὸ ποτὸν ἐγχεώμεθα, ταχὺ ἡμῖν καὶ τὰ σώματα καὶ αἱ γνῶμαι σφαλοῦνται.*

Lacedaemoniorum obedientiam erga leges et magistratus, quae cap. VIII, 1. sqq. celebratur, cum alii saepe commemorant, tum Xenophon inprimis laudat atque commendat, et Atheniensium contra magistratibus parendi dedignationem, quos potissimum verbis *ἐν ταῖς ἄλλαις πόλεσιν* respexisse videtur, alibi quoque acerbe vituperat, v. c. Mem. III, 5, 16.: *πότε δὲ οὕτω (Ἀθηναῖοι ὥςπερ Λακεδαιμόνιοι) πείσονται τοῖς ἄρχουσιν; οἳ καὶ ἀγάλλονται ἐπὶ τῷ καταφρονεῖν τῶν ἀρχόντων.* Ibid. IV, 4, 15.: *Λυκοῦργον δὲ τὸν Λακεδαιμόνιον καταμεμάθηκας, ὅτι οὐδὲν ἂν διάφορον τῶν ἄλλων πόλεων τὴν Σπάρτην ἐποίησεν, εἰ μὴ τὸ πείθεσθαι τοῖς νόμοις μάλιστα ἐνειργάσατο αὐτῇ; τῶν δὲ ἀρχόντων ἐν ταῖς πόλεσιν οὐκ οἶσθα, ὅτι οἵτινες ἂν τοῖς πολίταις αἰτιώτατοι ὦσι τοῦ τοῖς νόμοις*

πείθεσθαι, οὗτοι ἄριστοί εἰσι, καὶ πόλις, ἐν ᾗ μάλιστα οἱ πολῖται τοῖς νόμοις πείθονται, ἐν εἰρήνῃ τε ἄριστα διάγει καὶ ἐν πολέμῳ ἀνυπόστατός ἐστιν; Hist. Gr. VIII, 1, 8.: καὶ τὸ πλείστου δὲ ἄξιον, τὸ πείθεσθαι τοῖς ἄρχουσιν. — Cf. etiam Hist. Gr. III, 4, 18.; V, 2, 6.; Oecon. XXI, 4.; Cyrop. VIII, 3, 21. et Chrysantae oratio Cyrop. VIII, 1. in.

Obiecerat Manso nostri libelli auctori, eum plura instituta tam levia et exigua Lycurgo tribuisse, ut facile appareat, illa potius quam Lycurgo convenire homini, qui molli aetate vixerit. Respexit fortasse inter alios etiam illum locum, qui est cap. XI, 3., ubi de vestitu et ornamento pugnantium sermo est, et sane alicui levius videri possit, quod dicit: ἐφῆκε δὲ καὶ κομᾶν τοῖς ὑπὲρ τὴν ἡβητικὴν ἡλικίαν, νομίζων οὕτω καὶ μείζους ἂν καὶ ἐλευθεριωτέρους καὶ γοργοτέρους φαίνεσθαι. Totus autem ille locus optime convenit Xenophonti, qui non minimam laudem posuit in eo, si quis in proelium profecturus in capillo, vestibus et inprimis armis adornandis diligentiam collocaret, vultumque laetum atque hilarem prae se ferret. Sic v. c. Cyrop. VI, 4, 4. de Abradata dicit: ἐπεὶ δὲ καὶ πρόσθεν ὢν ἀξιοθέατος ὁ Ἀβραδάτας ὡπλίσθη τοῖς ὅπλοις τούτοις, ἐφάνη μὲν κάλλιστος καὶ ἐλευθεριώτατος. Ibid IV, 4, 3. de iis, qui rem strenue gesserant, dicitur: ἀλλὰ καὶ δῆλοι τοί ἐστε, ὅτι ἄνδρες ἀγαθοὶ ἐγένεσθε, καὶ γὰρ μείζους φαίνεσθε καὶ καλλίους καὶ γοργότεροι ἢ πρόσθεν ἰδεῖν. Et de se ipso profitetur Xenophon (Anab. III, 2, 7.): ἐκ τούτου Ξενοφῶν ἀνίσταται, ἐσταλμένος εἰς πόλεμον ὡς ἐδύνατο κάλλιστα, νομίζων, εἴτε νίκην διδοῖεν οἱ θεοὶ, τὸν κάλλιστον

κόσμον τῷ νικᾶν πρέπειν, εἴτε τελευτᾶν δέοι, ὀρθῶς ἔχειν, τῶν καλλίστων ἑαυτὸν ἀξιώσαντα, ἐν τούτοις τῆς τελευτῆς τυγχάνειν.

Porro id quod cap. XI, 5. traditur, apud Lacedaemonios omnes duces in prima acie fuisse collocatos, sapientissime ab iis institutum esse, indicat Xenophon Cyrop. III, 3, 57.: ἐῤῥωμένως δὲ (ἐν τάξει ἐπορεύσαντο) διὰ τὸ τὰ σώματα ἐκπεπονῆσθαι καὶ διὰ τὸ πάντας ἄρχοντας τοὺς πρωτοστάτας εἶναι. Memor. III, 1, 8.: καὶ γὰρ ἐν τῷ πολέμῳ τούς τε πρώτους ἀρίστους δεῖ τάττειν καὶ τελευταίους κ. τ. λ. Cf. etiam Hipparch. II, 2.

Denique, quod inde a cap. XI. accuratissime de re Lacedaemoniorum militari agitur, id soli Xenophonti tribuerim, harum rerum et studiosissimo et peritissimo. Quis enim alius unquam, Haasii verbis utor, Socraticae sapientiae tantam adiunxit artis bellicae peritiam et studium? Quis vero tam accurate norat Spartanorum in ea re instituta? Est enim tota illa disputatio eiusmodi, ut eius auctor interfuisse videri debeat exercitui Laconico, cognovisse ordines et duces, vitam castrensem, militum victum, itineris faciendi rationes, item aciei instruendae et mutandae varios modos et quaecunque eius generis sunt reliqua, suis adspexisse oculis.

Unum reperi locum, qui primo adspectu fortasse cuipiam videri possit non ex Xenophontis sententia scriptus, illum dico cap. II, 10.: οὐδὲν γὰρ οὕτως αἰδοῦνται οὔτε παῖδες οὔτε ἄνδρες ὡς τοὺς ἄρχοντας. Quae sententia repugnare videatur ei, quam Cyrop. I, 1, 2. profert his verbis: ἄνθρωποι δὲ ἐπ' οὐδένας μᾶλλον συνίστανται ἢ ἐπὶ τούτους, οὓς ἂν αἴσθωνται

ἄρχειν αὐτῶν ἐπιχειροῦντας, - et de Rep. Athen. I, 14.: γιγνώσκοντες, ὅτι μισεῖσθαι μὲν ἀνάγκη τὸν ἄρχοντα ὑπὸ τοῦ ἀρχομένου. Haec vero difficaltas facillime removebitur, si consideraverimus, Xenophontem illis locis communem protulisse sententiam, nostro autem loco de unis Spartanis esse locutum, qui soli propter πειθαρχίαν, quam cap. VIII. egregie laudat, honorifice excipiendi erant.

Quicunque igitur integre neque praeiudicatam opinionem afferens de libro quaestionis iudicabit, eum oportebit confiteri, non solum universum eius argumentum, verum etiam singulas quasque eius partes cum Xenophontis ingenio studiisque, quibus maxime captus erat, egregie consentire. Insignis autem hic consensus, quem etiam Schlosser (Universalhistorische Uebersicht der Geschichte der alten Welt I, 2, 157.) palam agnovit, tantum abest, ut nos adducat in eam opinionem, ut putemus, nostrum librum ab imitatore quodam Xenophontis esse profectum, ut adeo ipse Xenophon, quae in reliquis scriptis inprimis de re militari et de educatione puerorum proposuit, interdum ex hoc nostro libro hausisse videri possit, quum hic non raro inserviat faciliori intellectui illorum. Neque etiam ullus adversarius quidquam, quod aliquid habuerit momenti, in nostro libro reperit ac protulit, quod repugnet Xenophontis indoli et ingenio sentiendique rationi, nec profecto unquam poterit proferre. Ubique enim nostrum librum lectitanti occurrit Xenophon, ἀνήρ, ut ait Diog. Laërt. (l. l. XII, 56.), τά τε ἄλλα γεγονὼς ἀγαθὸς καὶ δὴ καὶ φίλιππος καὶ φιλοκύνηγος καὶ τακτικός, ὡς ἐκ τῶν συγγραμμάτων δῆλον· εὐσεβής τε καὶ φιλοθύτης,

καὶ ἱερεῖα διαγνῶναι ἱκανὸς, καὶ Σωκράτη ζηλώσας ἀκριβῶς. Neque ego quidem dubito contendere, Xenophontem optimo iure dicere posse de hoc suo libro, quod Ovidius de suis Tristibus (I, 1, 61.):

Ut titulo careas, ipso noscere colore;
Dissimulare velis; te liquet esse meum.

6. *Caput XIV. neque Xenophontis ingenio neque reliquae libri parti repugnat.*

Quo maior autem ille, de quo dixi, consensus totius libri cum reliquis omnibus Xenophontis scriptis apparet, eo maiori offensioni pluribus fuit unus locus, qui adeo reliquae nostri libri parti repugnare illis visus est. Nam quum per totum librum Xenophon instituta Lycurgica Lacedaemoniosque maximis laudibus celebrasset, repente cap. XIV. Spartanos acerbe perstrinxit, quod non amplius servarent illas leges. Plerique viri docti, quum, quomodo id ita conciliari possit, ut utrumque, et reliquum librum et illud caput, ab eodem scriptore profectum esse statueretur, non haberent, eam ob rem partim totum librum, partim hoc unum caput a Xenophonte scriptum esse negarunt. Illam sententiam primus protulit *Heyne*, ut iam supra dictum est (Commentatt. Gotting. IX. p. 38.), hanc *Weiske*, cuius sententiam amplexi sunt *Schneider*, *Lud. Dindorf*, *Christian. Delbrueck* quoque (p. 147.) non improbabile videri dicit, caput illud a seriore quodam scriptore adiectum esse.

Quodsi convenientiam capitis XIV. cum reliqua libri parte accuratius consideramus, statim nobis succurrit, simillimam rationem esse octavi capitis octavi Cyro-

paediae libri et reliquae eius partis. Per totum enim librum quum Xenophon maxime collaudasset Persas, ultimo denique capite eosdem, ut videtur, acerbissime perstrinxit, unde factum est, ut, quod Valckenaer obiter tetigerat, Schulz accuratius singulari libello (De Cyropaediae epilogo Xenophonti abiudicando, Halis MDCCCVI.) copiose exponere et evidenter ostendere studeret, epilogum esse spurium. Est vero similitudo inter epilogum illum et nostri libri cap. XIV. tanta, ut quod a Schulzio (l. l. p. 18. sqq.) in illum dictum est, idem fere etiam de hoc valere possit, modo pro Persis ponamus Lacedaemonios.

Non defuit tamen epilogo defensor, Fr. Aug. Bornemann (Der Epilog der Cyropaedie von Xenophon etc. Lips. 1819.), qui tanta cum diligentia de eo disseruit, ut Schulzio ipsi persuaderet (v. Xenoph. Apol. Socr. ed. Bornem. p. 11.), omnemque removeret dubitationem. Sic nostrum quoque caput *Car. Frid. Hermann* a Xenophonte profectum esse (Allgem. Schul.-Zeit. II, a. 1831. n. 149. p. 1185.) significavit his verbis: „*Das 14. Cap. von Xenophon de Republ. Lacedaemoniorum, das nicht minder Glauben verdient, als die dreizehn vorhergehenden.*“ Tum etiam, hac viri doctissimi sententia amplius exposita argumentisque munita, nostri capitis causam feliciter egit *Haase* (prolegg. p. 20. sqq.). Ut vero accusatio nostri capitis simillima fuit accusationi epilogi, ita etiam similis erit utriusque defensio. Etenim sicut Bornemann illic inter incolas provinciae Persidis aequales Cyri, quos antea laudaverit, et inter suae aetatis incolas universi regni Persici, quos sub finem vituperaverit Xenophon, discernendum esse statuit, sic in nostra

quoque causa discrimen est faciendum inter leges Lycurgicas eosque, qui illis obsequebantur, et Lacedaemonios Xenophonti aequales.*) Namque, ut ex supra dictis intelligitur, Xenophontis Laconicae reipublicae studium non inde natum erat, quod temere cives Spartanos, sed potius quod reipublicae formam et Lycurgi instituta adamaret, quippe quae maxime consentirent cum Socratica, cui deditus erat, disciplina. Totus vero quum eorum studio teneretur, non potuit fieri quin civibus quoque, qui iis fruerentur, et bonis inprimis, qui iis obsequerentur, aliquam sui amoris partem impertiret.

Quodsi Xenophon nostro libro Spartanorum ipsorum laudes maxime praedicat, cogitandum est, ei ante oculos obversatos esse Lycurgi aequales, vel potius in universum eos, qui, quemadmodum illi, Lycurgi legibus obsequentes, fortunate beateque viverent. Offenderunt autem viri docti in eo, quod saepius praesenti tempore utitur Xenophon, quasi per totum librum de sibi aequalibus loquatur. Id vero ideo fecisse mihi videtur, quod animi fervor vividaque cogitatio rempublicam ei ante oculos posuit non talem, qualis sua aetate re vera erat, sed qualis ex legislatoris dilectissimi sententia esse debuit atque ex eius institutis esse potuit. Immo aliter loqui paene non potuit Xenophon, quum semel instituta Laconica commendare aliisque imitanda proponere in mente haberet. Quomodo enim cuique instituto, quod tanquam exemplar ad imitandum proposuit, statim subii-

*) Id recte ita statui, iam inde colligi potest, quod Xenophon Lycurgica instituta ubique aequa laude praedicat, Lacedaemonios vero interdum etiam reprehendit, v. c. Hist. Gr. V, 4, 1. VI, 3, 7. sqq.

cere potuit, id non amplius immutatum exstare? Nonne hoc fuisset id ipsum tollere, quod modo proposuisset? Nonne, si institnta, quae commendare voluit, tanquam in praesentia adhuc integra et vigentia illustraret, sperandum ei erat, fore, ut et lectoribus maiorem in modum probarentur, et facilius nobilem eiusmodi aemulationem, qualem Xenophon ubique diligentissime commendat, excitarent? Et profecto etiam eo meliore iure id facere potuit Xenophon, quod, quamquam Spartanorum mores iam illo tempore in peiorem partem verti ac mutari coepti erant, tamen etiamtum ceterarum civitatum fere omnium moribus diu iam corruptis longe praestabant*), et quod Xenophon, Agesilaum, amicum suum dilectissimum et certaminum socium, perfectum Lycurgicae disciplinae exemplum (ὃς τελέως ἀνὴρ ἀγαθὸς ἐγένετο, ut ipse ait Xenophon Agesil. I, 1.) cognovisse sibi visus, Lycurgi mentem in singulis certe Spartanis etiamtum vigere putabat.**)

Magno sane animi dolore affectus est, quod quum

*) Egregium exemplum, quantam virtutem quantamque constantiam Spartani etiamtum labe iam irruente servaverint, praebet eorum factum post cladem Leuctricam. Nuntio enim de ea allato ephori pompas et saltationes, quibus tum gymnopaediorum festum celebrabant, non interruperunt; deinde, omni mulierum luctu interdicto, nuntius nominaque occisorum sunt enunciata; silentio omnes audiunt; silentio domum eunt; postero die ornati hilaresque apparent, quorum filii et cognati occisi sunt, lugentes moestique, quorum filii et cognati superstites sunt.

**) Quin etiam apertis verbis (quamquam tempore paulo priore) Socratem dicentem inducit Xenophon, Lacedaemonios ceteris omnibus Graeciae civitatibus longe praestare, Mem. III, 5, 14.: (Ἀθηναῖοι), inquit, εἰ μὲν ἐξευρόντες τὰ τῶν προγόνων ἐπιτηδεύματα μηδὲν χεῖρον ἐκείνων ἐπιτηδεύοιεν, οὐδὲν ἂν χείρους

Scillunte, urbe a Lacedaemoniis habitata (Anab. V, 3, 7.), vivens Spartanis familiarissime uteretur suosque filios, ut Lycurgicorum institutorum beneficiis fruerentur, educandos Spartam mitteret, non potuit non animadvertere, Spartanorum mores magis magisque a pristina integritate, iustitia et probitate recedere. Id statim in exordio libri indicat: leges, inquit, quibus *quamdiu* obsequebantur fortunate vixerunt, nam nihil aliud significant verba *οἷς πειθόμενοι ηὐδαιμόνησαν*. Sub finem tandem, posteaquam omnia illa instituta, interdum etiam cives, qui illorum participes erant et partim saltem iis etiamtum obsequebantur, laudibus celebravit, sibi aequales merito reprehendit. Idque tantum abest, ut repugnet prius dictis, ut maxime cum iis congruat. Nam propter id ipsum reprehendit Lacedaemonios, quod Lycurgicas leges, quae eorum maiores beatos reddiderant, negligerent nec amplius religiose servarent. Itaque sicut antea per totum librum Spartanorum instituta ceteris Graecis imitanda proposuerat, ita illo capite quasi Spartanis ipsis sua ipsorum instituta ante oculos obiicit, ut excitet eos ad diligentius illa observanda et colenda. Et hanc potissimum ob rem puto eum semper opposuisse veterem eorum virtutem vitiis suae aetatis: *οἶδα γὰρ πρότερον μὲν αἱρουμένους μᾶλλον — ἢ —; καὶ πρόσθεν μὲν οἶδα — νῦν δὲ —; ἐπίσταμαι δὲ καὶ πρόσθεν — νῦν δὲ* — etc. Et deinde, postquam dixit, quomodo defe-

---

ἐκείνων γενέσθαι (ἐμοὶ δοκοῦσιν)· εἰ δὲ μή, τούς γε νῦν πρωτεύοντας μιμούμενοι καὶ τούτοις τὰ αὐτὰ ἐπιτηδεύοντες, ὁμοίως μὲν τοῖς αὐτοῖς χρώμενοι, οὐδὲν ἂν χείρους ἐκείνων εἶεν, εἰ δ' ἐπιμελέστερον, καὶ βελτίους. Scriptorem sub voce *πρωτεύοντας* Lacedaemonios intelligere, ea, quae statim sequuntur, docent.

cerint a vetere morum probitate, addit, quod est prudentissimi viri, ut eo magis eos excitet ad illam restituendam, quod damnum sibi ipsis fecerint hac morum depravatione (§. 6.): *τοιγαροῦν οἱ Ἕλληνες πρότερον μὲν ὄντες εἰς Λακεδαίμονα ἐδέοντο αὐτῶν, ἡγεῖσθαι ἐπὶ τοὺς δοκοῦντας ἀδικεῖν, νῦν δὲ πολλοὶ παρακαλοῦσιν ἀλλήλους ἐπὶ τὸ διακωλύειν ἄρξαι πάλιν αὐτοῖς.*

Et omnem illam morum depravationem solummodo ex defectu pietatis erga deos deducit, qua in re penitus agnoscimus nostrum Xenophontem, cui omnis virtutis fundamentum erat pietas erga deos (Mem. IV, 3.). Eiusdem impietatis ille in epilogo Cyropaediae Persas, eiusdem etiam alibi Spartanos gravissime accusat, cf. Hist. Gr. V, 4, 1. — At quantum discrimen est inter hanc reprehensionem Lacedaemoniorum et illam, de qua infra dicetur, vituperationem Atheniensium in libro de horum republica! Hic videmus, reprehensionem natam esse ex studio Spartanis aliquid utilitatis afferendi, agnoscimus amorem eorum; audire mihi videor, in illis praecipue verbis, quibus depravationem morum, quae tum erat, pristinae virtuti opponens utitur, virum magno animi dolore affectum, cui maxime est cordi, ut pristina revocetur virtus pristinaque felicitas. At quum Athenienses vituperat, merito quidem illos etiam sed iniquius, apparet infensior populo atque vituperatio potius ex indignatione quam ex commiseratione et amore orta.

Iam etiam apparebit, singulos quoque locos, quos Weiske reliquae libri parti repugnare dicit, facile refelli. Primum, quod dicit, cum illa Spartanorum cen-

sura non posse conciliari verba cap. II, 12.: *οὐδὲν οὕτως αἰδοῦνται οὔτε παῖδες οὔτε ἄνδρες, ὡς τοὺς ἄρχοντας* (quo pertinent etiam ea, quae cap. VIII, 1. dicta sunt), hanc sententiam nec mutavit Xenophon cap. XIV., nec potuit mutare, quum etiamtum Spartani obsequio magistratuum longe praestarent ceteris Graecis et inprimis Atheniensibus, quod Xenophon alio iam supra allato loco (Mem. III, 5, 16.) profitetur. Quin etiam Xenophon ipse suos filios Spartam misit, ut testatur Plutarchus (Agesil. 20.), *ὡς μαθησομένους τῶν μαθημάτων τὸ κάλλιστον, ἄρχεσθαι καὶ ἄρχειν.* — Idem fere valet de eo, quod cap. IV, 4. dictum est, *παραφυλάττουσιν ἀλλήλους κ. τ. λ.*, quae verba pertinent ad *φιλονεικίαν*, quam non magis Xenophon cap. XIV. Spartanos desiisse dicit, sed quae corruptis quoque moribus potuit obtinere. — Tertius locus, cui plurimum tribuit Weiske, est in cap. VII, 3. sqq.: *τί πλοῦτος ἐκεῖ γε σπουδαστέος κ. τ. λ.* Recte autem monuit Haase, facile apparere, de industria Xenophontem illad *ἐκεῖ* posuisse, quod deinde explicatur verbis: *ἔνθα ἴσα μὲν φέρειν εἰς τὰ ἐπιτήδεια, ὁμοίως δὲ διατᾶσθαι τάξας* (*ὁ Λυκοῦργος*), *ἐποίησε μὴ ἡδυπαθείας ἕνεκα χρημάτων ὀρέγεσθαι*; ita enim, facta etiam ipsius Lycurgi mentione, apertum est, non Spartanos eos significari, qui Xenophontis aetate viverent, sed omnes, quorum vita Lycurgi responderet legibus. — Ultimum quoque locum, qui offensioni fuit Weiskio, facili negotio refutavit Haase.

Quod vero *Sauppe*, vir doctissimus, in Quaestionum Xenophontearum particula altera p. 5. dicit, similem esse rationem huius libri XIV. et Agesilai ultimi

capitis, in eo a viro docto dissentiendum esse arbitror. Censet enim ille, id quod, quamquam non omni caret veri similitudine, tamen non ausim pro certo affirmare, *in ultimo Agesilai capite nos habere prima laudationis lineamenta et quasi ὑπόμνημα, quo scriptor rationem libri conscribendi designaverit. Post mortem autem Xenophontis*, pergit, *eum qui quae conscripserat ille invenerit, hoc ὑπόμνημα et expositionem, quamquam non absolutam omnino, contexuisse, atque ita, quae minime cohaererent, composuisse, additisque quibusdam orationis vinculis edidisse.* Simili ratione de nostro scripto statuit Sauppe, *fuisse quidem Xenophontem libri auctorem, talem vero, qualis nunc est, neque edidisse neque editurum fuisse, sed scidas ab aliquo, qui non esset eius rei admodum gnarus, divulgatas esse, non curante illo ordinem et caput XIV., utut erat, inferente.* Verum enim vero, quum et totum libri argumentum optime se habere ostendisse mihi videar, et dicendi genus non modo non abhorrere ab usu Xenophontis, sed hoc esse dignissimum statim demonstrabitur, non est, credo, quod putemus, Xenophontem non edidisse hunc librum, atque si verum est, quod Franciscus Portus et Aegidius Menagius, quorum infra afferam verba, disputarunt, scripsisse Xenophontem librum, quo Lacedaemoniis optime de se meritis gratiam referret, adeo paene necesse erat, ut eum ederet. Quod autem caput illud XIV., de quo exposui, aperte alieno loco positum est, id non Xenophonti vel editori, si quidem alius fuit, sed potius librario cuidam vitio vertendum esse videtur, qua de re cf. quae infra monebuntur.

7. *Scribendi quoque ratio est Xenophontea.*

Iam vero etiam videndum est, num orationis genus Xenophonte non sit indignum. Maxima Xenophonteae dicendi rationis laus posita est in modesta simplicitate, vel, ut Quintiliani (instit. orat. X, 1, 82.) verbis utar, in iucunditate inaffectata, sed quam nulla consequi affectatio possit. Neque quisquam erit, qui infitietur, hoc iudicium, cui et tota antiquitas assentit et nos Xenophontis libros attente legentes nostrum iudicium adscribamus necesse est, in nostrum quoque librum cadere, id quod tamen facilius sentiri potest, quam singulis locis ostendi et comprobari. Ubique per totum librum eandem agnoscimus simplicitatem, eandem perspicuitatem, qua in reliquis Xenophontis scriptis ubique sibi ipsi aequa neque umquam sui dissimili delectamur. Nam si qui loci obscuri sunt dicti, id inde ortum existimandum est, quod interpretes aut plures male vel omnino non intellexerunt, aut non rectam medicinam negligentia librariorum corruptis adhibuerunt. Ut breviter dicam, quicunque nihil praeiudicati afferet ad sententiam de nostro libro ferendam, concedat necesse erit, totum libri colorem Xenophonteo tam esse similem, ut nisi a Xenophonte ipso, certo tantum ab imitatore quodam admodum perito et callido, qui reliqua eius scripta diligentissime exploraverit, proficisci potuerit. Quod quidem ultimo loco dictum ut opinetur, fortasse aliquem adducat illa ipsa similitudo singulorum locorum cum aliorum Xenophontis librorum locis, quae facile alicui nimia videri possit. Cavendum vero est, ne haec eiusmodi similitudo aliquem offendat adducatque, ut putet, Xenophontem non decere, de eadem re bis terve iisdem fere verbis utentem loqui.

Id enim ex illa ipsa inaffectata simplicitate est ortum, quae omnem ornatum oratorium aspernatur neque, quando de eadem re bis sermo est, multam operam dat, ut verba quaerat diversa ab antea usurpatis. Et hoc quidem in nostro quoque libro saepius occurrat necesse est, quia in eo plerumque de rebus loquitur Xenophon, quas, quum iis maxime delectetur, in aliis quoque libris cupidius tractat. Simili ratione in Agesilao quoque plurima leguntur, quae etiam in Historia Graeca sunt, in Apologia Socratis, quae in Memorabilibus, atque in universum permulti loci in singulis Xenophontis scriptis repetiti reperiuntur, ita ut haec res adeo Schulzio argumentum praeberet, quamquam non praecipuum, Cyropaediae epilogi Xenophonti abiudicandi.

Sicut autem antea, quum universum totius libri argumentum cum Xenophontis ingenio bene congruere cognovissemus, etiam videndum esse putabamus, num omnes eius singulae partes ei responderent, sic nunc quoque, quum indicatum est, dicendi genus in universum non abhorrere a Xenophontis loquendi ratione, quaerendum est, num etiam singulae structurae singulaque verba non abhorreant ab usu Xenophonteo. Quamvis enim is vehementer erraret, qui aliquem librum cum alio quodam libro, qui eiusdem auctoris esse vulgo putatur, comparans ex solo consensu aut sola discrepantia verborum et constructionum de eius scriptore certam coniecturam facere vellet, tamen si quaerimus, utrum aliquis liber genuinus sit an adulterinus, non prorsus negligendum est hoc etsi minoris momenti argumentum. Nam sane quidem non facile ullo tempore ullus scriptor fuit, qui tam angusti fuerit ingenii, ut non auderet, exiguo gyro, in

quem ipse se compulit, excedere et interdum in aliquo libro verba et structuras adhibere, quibus alibi non fuerit usus, sed tamen nonnunquam etiam singulae verborum compositiones, si non solum non congruunt cum scriptoris consuetudine, sed etiam illi aliisque eiusdem aetatis scriptoribus usitatis plane sunt contrariae, non quidem solae argumento esse, sed aliis argumentis, aliquem librum esse subditicium, confirmandis et comprobandis inservire possunt.

Iam vero quum viri docti haud multum reperissent, quod reprehenderent in singulis argumenti nostri libri partibus, tamen, quum semel sibi proposuissent, nostrum librum Xenophonti abiudicare, spem suam collocaverunt in dicendi ratione, in qua plura deprehendere sibi visi sunt, quae a Xenophonte profecta non esse putarent. Sunt inter ea sane aliqua, quae non alibi legantur apud Xenophontem, nihil autem, quod vel contrarium sit eius scribendi rationi, vel non reperiatur apud alios bonos eiusdem aetatis scriptores; et plura, in quibus plane immerito offenderunt. Videamus singula nonnulla et primum structuras quasdam verborum, quae abhorrere visa sunt quibusdam interpretibus a Xenophontis consuetudine.

Huc primum Weiske eumque secutus Schneider retulit constructionem vocis *τἀναντία* cum genitivo, quae nostro libro ter reperitur, cap. I, 7. III, 1. et XI, 5. Quibus interpretibus rectissime Haase, qui suae editionis p. 54. accurate de hac structura exposuit, admirabilem negligentiam obiicit, quum non solum apud optimum quemque scriptorem, sed etiam inprimis apud ipsum Xenophontem nostrum frequentissime inveniatur (exempla v. ap. Sturz. Lex. Xenoph. s. v. *ἐναντίος*). Est autem

ea differentia inter structuram adiectivi ἐναντίος cum genitivo et cum dativo, ut quemadmodum Haase recte, ut opinor, statuit, genitivus adhibeatur, ubi significantur, quae in duabus rei alicuius partibus adversis accurate sibi opposita sunt, veluti Xen. Anab. III, 3, 28. ἐναντίους σφῶν ἐμβαίνειν, ubi in alterautra fluvii ripa hostes hostibus ex adverso in aquam descendunt: dativi autem in ea re minus accurata notio sit ideoque latius patens; ita enim significatur quidquid e contraria parte ad aliquam rem versum est, veluti Hist. Gr. II, 4, 14.

Idem porro hic pertinere putavit locum cap. V, 8.: ὡς μήποτε αὐτοὶ (pro quo nisi fallor αὐτοὺς scribendum est, quod iam Zeune proposuit) ἐλάττους τῶν σιτίων γίγνεσθαι. Verum est, hanc structuram vocis ἐλάττων non alibi reperiri apud Xenophontem, sed bene potest defendi et consensione cum regula et exemplis ex aliis scriptoribus petitis. Quum enim haec sit regula, comparativa eaque et adiectiva et verba, quibus inest notio comparandi, strui cum genitivo, ut v. c. κρείττων, ἥττων, ἡττᾶσθαι i. q. ἥττω εἶναι τινός, inferiorem esse aliquo, eodem modo, quo apud Xenophontem Mem. I, 5, 1. IV, 5, 11.; Cyrop. VIII, 8, 7. ἥττω γαστρός, οἴνου, πότου, ὕπνου, ἡδονῶν legitur, et sic quoque ἡττᾶσθαι τῶν ἐπιθυμιῶν Isocr. Nicocl. p. 34. B., inferiorem esse vel superari libidinibus: bene non solum dici potest, sed etiam re vera ab aliis scriptoribus dictum est: ἐλάττων τινός, ἐλάττω τινὸς γίγνεσθαι, ἔλαττον ἔχειν τινός, ἐλαττοῦσθαι τινός, v. c. Dem. pro. cor. p. 226. B.; Heliod. Aethiop. V, 4.: ἔρωτος μὲν ἐλάττων, ἡδονῆς δὲ κρείττων γιγνόμενος, amore quidem victus, ibidinem vero reprimens, et teste Henr. Stephano in

thesauro (locum tamen, ubi legitur, non indicavit neque ego reperi), ἐλάττων χρημάτων, qui pecunia superatur, deditus est pecuniae (cf. etiam Thuc. II, 94.). Quum iam appareat, constructionem vocis ἐλάττων cum genitivo recte se habere, quaeritur, quo significatu hoc loco accipiendum sit, utrum eo, ut sit, quemadmodum ἥττων γαστρός et simil., impotens, immodicus ciborum, an, quemadmodum ἐλαττοῦσθαι τινός, minus accipere in aliqua re. Illum significatum, quem statuit Schneider, nostro loco ferri non posse monstravit Haase, qui alteram significationem praetulit itaque legendum proposuit: ὡς μήποτε αὐτοῖς ἐλάττω vel ἔλαττον τῶν σιτίων γίγνεσθαι, vel etiam, quod Zeune proposuerat, ὡς μήποτε αὐτοὺς ἐλάττους τῶν σιτίων γίγνεσθαι, modo dicere liceret ἐλάττω γίγνεσθαί τινος pro ἐλαττοῦσθαι τινός vel ἔλαττον ἔχειν τινός, in aliqua re minus accipere, quod nos dicimus *zu kurz kommen*, ut igitur nexui sit: „*Lycurgus cavit, ne quando ii, qui corpus suum probe exercerent, pauciores acciperent cibos, quam ii, qui essent ad ea studia tardiores.*“ Verumtamen et Graecorum loquendi rationi et toti nexui multo magis convenire mihi videri fateor, si ἐλάττω τῶν σιτίων γίγνεσθαι plane eodem sensu accipimus, quo illo Heliodori loco ἐλάττω ἔρωτος γίγνεσθαι, ut sit: cibis vinci, inferiorem esse, uti iam Zeune nostrum locum interpretatus est: „*qui ita cibis indulgent, ut ad exercitationes corporis exsistant ineptiores.*“ Nam non solum de iis est sermo, qui corpus suum probe exercent, sed αὐτοί sunt omnes, qui in gymnasiis sunt (ἑκάστῳ ἐπιμελεῖσθαι, ὡς μήποτε αὐτοὶ κ. τ. λ.), ut igitur haec fere sit sententia: Quum bene sciret Ly-

curgus, eos, qui coenati corpus exercerent, robustiores fieri, desidiosos contra imbecilliores, cavit, ne quisquam cibis inferior fieret, i. e. instituit, ut omnes corpora exercerent post coenam moderatam. Hac ratione si locum intelligemus et pro *αὐτοί* scribemus *αὐτούς*, nihil futurum esse arbitror, quod reprehendendum sit vel in nexu vel in structura verborum.

Haesit porro Weiske in constructione praepositionis *ἐπὶ* cum genitivo de loco: *ἐπὶ πόλεως*, in urbe (cap. XI, 2.). Hanc quoque structuram verum est non alibi plane eodem modo reperiri apud Xenophontem, sed haec quoque bene potest defendi et est defensa ab Haasio. Struitur enim *ἐπὶ* cum genitivo loci, quando non de loco quodam certis finibus circumscripto est sermo, sed de loco latius patente, in quo homines frequentes versantur aut commorantur, v. c. Xen. Anab. IV, 3, 28.: *κελεύει μεῖναι ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ*, ad (iuxta) flumen eos manere iubet; sic etiam *ἐπὶ στρατιᾶς*, nostr. libr. XI, 2. XIII, 1.; *ἐπὶ ξένης* XIV, 4.; *ἐπὶ φρουρᾶς* XIII, 1. 11.; *ἐπὶ κέρως* XI, 10.; *ἐπ' ἀγροῦ* Hist. Gr. II, 4, 27., quemadmodum Latini dicunt domi militiaeque, ruri etc. (Cf. etiam Hermann ad Viger. adnot. 394. et Haase ad nostrum locum.)

Structuram verbi *διαφέρειν κατά τι*, quae est cap. I, 10., Xenophontis aetate scribi potuisse negat Bernhardy (Syntax p. 117. 242.), quum praepositio *κατὰ* non ante Polybium ita fuerit usurpata. Et profecto etiam Stobaeus in hoc praepositionis *κατὰ* usu haesisse videtur, qui hunc locum transcribens bis eam omisit. Sed non solum alii scriptores Xenophonti aequales nostrum ipsum verbum *διαφέρειν* cum praepositione *κατὰ* coniun-

gunt, ut Plato de lucr. cup. p. 233. B., sed etiam Xenophon ipse alio loco (de Venat. I, 5.) πολὺ διενεγκόντες κατὰ τὴν ἀρετήν dicit. (Cf. Hermann ad Soph. Trach. v. 102.).

Fortasse etiam id aliquem offendat, quod cap. XI, 6. verbum μανθάνειν cum genitivo coniunctum est, quae structura non alibi apud Xenophontem reperitur. Sed ea et aliorum verborum structura, quae similem notionem habent, ut αἰσθάνεσθαι, συνιέναι, γιγνώσκειν, πυνθάνεσθαι etc., et vero etiam aliorum scriptorum exemplo, ut Plat. Theaet. p. 163. E., satis defenditur.

Similis ratio ut structurarum est vocabulorum non alibi a Xenophonte aut ab aliis Atticis scriptoribus usurpatorum, quorum in nostro libro sane non exiguus est numerus. Nec mirum, quum Xenophon inter medios Lacedaemonios vivens scribat de rebus Laconicis, de quibus alibi non tam accurate exponit. Plerique quidem viri docti censuerunt, Xenophontem studiosissimum fuisse vocum poëticarum (cf. Lobeck. ad Phrynich. p. 89.), verum Haase (p. 338.), qui in indice omnia verba, quae vel omnino non reperiuntur in ceteris Xenophontis libris, vel non eadem significatione, illa crucis, haec stellae signo accuratissime notavit, haud dubie recte statuit, *„diuturnam cum Spartanis familiaritatem sermonisque Laconici consuetudinem in causa fuisse, cur vocabulis haud paucis uteretur Xenophon, quae in arte militari aut gymnastica aut in moribus institutisque publicis Spartanorum recepta erant, qualia sunt* παρεγγύησις, διατριβή, ἄγημα, συστρέφειν, ὑπολύεσθαι, ὀρθιάδε, ἀναθορεῖν, δαμοσίᾳ, ὕλη, παιδίσκος, εἰρήν, συμβολεύειν, ἀποστέλλειν, τὰ καλά,

ἀκούειν τὸ ἐρωτηθέν, εὐεξία de reipublicae condicione, et alia plura, quae ab Atticis non usurpantur nisi in ipsis rebus Laconicis aut significatione mutata aut cum vi poëtica. Accedunt tamen nonnulla alia non in una aliqua re usitata, sed quae Xenophon incaute e Spartanorum dialecto adscivit, cum in iisdem rebus etiam Atticis vocabulis uti liceret; et huius quidem generis nomina quod poëtica plerumque visa sunt, non est mirandum, cum haec sit inprimis gravis inter Atticam et Doricam rationem differentia, quod in illa permulta poëtica habentur, quae in hac vulgaria sunt. Huc referenda sunt v. c. ἀστυφέλικτος, γὲ μήν, ἐμπεδορκεῖν, ἐμφυσιοῦν, ἐπιπολάζειν, ἐπιτείνεσθαι, ἐπίψογος, κλωπεύειν, κνεφαῖος, κρατύνειν, ὄρφνη, πάσασθαι, ῥαδινός, ῥέπειν, σίνεσθαι, τορός.“

Nominatim offendit Weiskium verbum *ὑποβάλλειν* cap. III, 2., pro quo, quum sane ab illo loco alienum sit, recte e Cod. Paris. A. receptum est *ἐπέβαλε*, quod iam prius ex coniectura proposuerat Morus. — De verbis *ἀποστέλλειν* (IV, 4.) et *εὐεξία* (VIII, 1.), quae eidem Weiskio aliena visa sunt a Xenophontis consuetudine, iam monitum est. Illud quidem *ἀποστέλλειν* h. l., ut Haase interpretatus est, non est simpliciter dimittere, sed in certum aliquem usum parare et instruere et ita instructum dimittere. At in illa equitum creatione hippagretae ephebos alios dimittunt simpliciter, quippe reprobatos, alios autem dimittunt creatos et instructos equitum dignitate, ita ut multo aptius sit de his dici *ἀποστέλλειν*, quam de illis. Ad vocem autem *εὐεξία* Schneider locum Gorg. encom. Helen. p. 93. conferri iussit,

ubi εὐεξία ad animum translata est; cui loco addi potest Plat. Gorg. p. 464. A., et recte observavit Haase, hanc vocem eo aptius potuisse transferri ad rempublicam, quod ex contrario perturbatus reipublicae status saepe nominibus adversae valetudinis soleat indicari, v. c. Xen. Anab. VII, 2, 32.; Mem. III, 5, 18.; Diphil. ap. Athen. IV. p. 254. E.

At plures inveniuntur etiam in nostro libro vocabulorum compositiones et structurae, quibus, si talibus rebus tantum tribuendum esset, ut solae possent quaestionem de alicuius libri scriptore solvere, apte possemus uti ad demonstrandum, librum de republica Lacedaemoniorum esse Xenophontis. Sic statim prima nostri libri verba simillima sunt exordio Cyropaediae; quemadmodum enim apud nos dicit: ἐννοήσας — ἐθαύμασα —· ἐπεὶ μέντοι κατενόησα — οὐκ ἔτι ἐθαύμαζον, sic illic: ἔννοιά ποθ' ἡμῖν ἐγένετο —· ἔτι δὲ πρὸς τούτοις ἐπενοοῦμεν —· ἐπειδὴ δὲ ἐνενοήσαμεν — ἐκ τούτου δὴ ἠναγκαζόμεθα μετανοεῖν. Ab eadem admirationis significatione incipit etiam Memorabilia Socratis, et ab eadem particula ἀλλά, qua nostrum librum, Convivium. Huc pertineret porro sollemnis illa formula: εἰ λῷον καὶ ἄμεινον εἴη (cap. VIII, 5.), quae frequentissima est apud Xenophontem, cf. Anab. III, 1, 7. V, 10, 15. VII, 6, 44.; de Vectig. VI, 2.; deinde particulae γὲ μήν, quibus nemo saepius utitur Xenophonte, qua de re v. Haasii indicem s. v. γέ; denique etiam verba σφάλλειν γνώμας καὶ σώματα (V, 4.) saepe reperiri apud Xenophontem iam supra (p. 23.) notatum est. Quibus facili negotio plura possemus adiicere, si operae pretium esset.

8. *De tempore, quo scripsisse videatur Xenophon librum de republ. Lacedaemoniorum.*

Venio iam ad aliam quaestionem, quae instituenda erit de tempore, quo liber, de quo agimus, scriptus esse videatur. Libellus ipse nihil continet, ex quo sine ulla dubitatione coniecturam de tempore plane certo facere nobis liceat. Coniectura tamen assequi possumus ex toto libri argumento et indole, Xenophontem eum quum Scillunte exsularet scripsisse, et *Franciscus Portus* rectissime iudicasse videtur, illum hanc ob causam eum scripsisse, *ut quodammodo referret gratiam civitati bene de se meritae.* Quocum consentit *Aegidius Menagius* ad Diogen. Laërt. vit. Xenoph. XIII, 57.: „*Quod opus* (dicit libr. de rep. Lacedd.) *aggressus est, quo gratiam rependeret Lacedaemoniis, qui exuli incolendam dederant partem agri Elei in Triphyliaco solo,*“ et *Christian* in praefatione ad versionem Germanicam (p. 1263.). Fortasse etiam (id quod Christian quoque l. l. observavit) eo quod praestantiam institutorum Lacunicorum tantis laudibus extulit, simul se de suo rerum Laconicarum studio purgare voluit.

Sunt tamen nostri libri loci nonnulli, qui ei sententiae, ex qua Xenophon exsul eum composuerit, fidem facere videntur. Nam ea verba, quae statim ab initio leguntur, ubi Sparta dicitur *δυνατωτάτη τε καὶ ὀνομαστοτάτη ἐν τῇ Ἑλλάδι*, tunc tantummodo recte et vere dici potuerunt, quum Sparta summam in Graecia imperium teneret, ergo intra captas Athenas et pugnam Leuctricam (Ol. 93, 4. — 102, 2.), et aptissimum etiam fuit, Xenophontem eius civitatis instituta ceteris imitanda proponere, quae summae institutorum praestantiae sum-

mum adiungeret imperium. Aliter tamen visum est *Haasio*. Statuit enim ille, provocans ad verba cap. XV. (XIV.), 6.: *νῦν δὲ πολλοὶ παρακαλοῦσιν ἀλλήλους ἐπὶ τὸ διακωλύειν ἄρξαι πάλιν αὐτούς*, scriptum esse nostrum librum eo tempore, quo amiserant Spartani principatum, ergo post Leuctricam pugnam, Ol. 102, 4. vel 103. ineunte, quum Corinthi versaretur Xenophon. Verum accepta clade Leuctrica, quum amisissent Spartani imperium, quod terra tenuerant, sicuti iam antea pugna Naxia maris imperium amiserant, potius contra Thebanos, qui tum rerum potiri coeperunt, quam contra Spartanos erat, quod se invicem ad conspirandum incitarent Graeci. Deinde etiam non probabile mihi videtur, scripsisse Xenophontem hunc librum Corinthi. Ex iis, quae supra dicta sunt, apparere opinor, longe verisimilius esse, Xenophontem eum scripsisse, quum inter ipsos Lacedaemonios versaretur, id quod melius etiam intelligetur, ut spero, ex iis, quae sub finem totius disputationis nostrae (cap. III.) monebuntur. Itaque illa verba potius ad nostram sententiam facerent, si *πάλιν* abesset. At haec particula alieno loco mihi videtur posita esse, et recte, nisi fallor, habet Cod. Paris. D. *πάλιν ἄρξαι*, ita ut *πάλιν* cum *διακωλύειν* cohaereat et vim oppositionis, contra, habeat, quemadmodum in Cebetis Tab. cap. VII.: *οἱ μὲν δοκοῦντες χαίρειν — οὗτοι καὶ Ἀγαθὴν Τύχην αὐτὴν καλοῦσιν· οἱ δὲ δοκοῦντες κλαίειν — οὗτοι πάλιν Κακὴν Τύχην αὐτὴν καλοῦσι* (cf. Viger. p. 440.) Fortasse etiam cuipiam in mentem veniat, *πάλιν* ponendum esse post *παρακαλοῦσιν*, ita ut Xenophon nostrum librum scripsisse videatur paulo post id tempus, quo Phyllidas praesidium Spartanorum ex

Cadmea eiecerat, c. Ol. 100, 2. vel 3. Tum enim cogitandum esset, Xenophontem in animo habuisse illud foedus contra Spartanos ictum, ex quo bellum, quod Corinthiacum dicebatur, ortum est, atque quod foedus primam conspirationem contra Spartanos fuisse cogitet; et iam quum videret, Thebanos Spartanis ex urbe expulsis Atheniensium auxilium quaerere, eum dicere: nunc iterum (πάλιν) sese incitant, ut impediant Spartanos, quominus amplius imperent.

Delbrueck quoque (pag. 148.) in eo consentit cum Haasio, ut statuat, licet non totum librum, certe tamen cap. XIV. scriptum esse post pugnam Leuctricam, haud scio an iisdem, quibus Haase, verbis commotus. Quodsi vero talem statuimus nexum illius capitis cum reliqua libri parte, qualem statuendum videri antea significatum est, non probabile videtur, Xenophontem serius adiecisse hoc caput, quamquam id fieri potuisse non negaverim.

Etiam *Clinton* (Fasti Hellenici vol. II. p. 407.) Xenophontem post pugnam Leuctricam librum quaestionis scripsisse statuere videtur, quum dicit: „*In B. C.* 369., *at the time of the invasion of Laconica, the total number of Spartans probably did not exceed* 2000, *and Sparta in that age is described by Xenophon* (*Rep. Lac. I,* 1.) *as* τῶν ὀλιγανθρωποτάτων πόλεων οὖσα.“ Nisi forte verba „*in that age*“ latiore sensu accipi voluit, quod tamen quominus fiat paene impedit nexus.

Verumtamen, quamvis libellus ipse nulla indicia contineat, ex quibus certissime coniicere possimus tempus vel adeo annum scriptionis, sunt, quae me movent,

ut eum paulo ante pugnam ad Naxum commissam scriptum esse existimem. Qua de re pauca etiam sub finem totius disputationis monebuntur. Quid vero *Mansonem* moverit, ut librum iam Ol. 95. scriptum esse statueret, nescio. Id vero haud dubie factum non est, nam etiamtum in castris erat Xenophon et certo ei otium deerat scribendi huius libri, quem multo melius componere potuit, quum iam diutius inter ipsos Lacedaemonios et in ipsa urbe Sparta versatus esset meliusque cognita haberet eorum instituta.

9. *De Haasii transpositionibus.*

Restat, ut pauca adiiciam de transpositionibus, quas fecit Haase sibi reperisse visus complures locos, in quibus manifesto sint integrae sententiae loco suo deiectae et in alienum eumque admodum incommodum translatae, ita ut non solum ordine parum apto res sint dispositae, sed ne verba quidem ipsa aliquoties possint intelligi. Itaque hanc alicuius librarii negligentiam correcturus sex locis induxit transpositiones, quas multis defendere studuit.

At quum iam per se non sit verisimile, librarium aliquem ita negligentem fuisse, ut tam parvo libello tam saepe atque mire erraverit, recte, ut mihi videtur, iam hanc ob causam *Meier* in editionis Haasianae censura (Hallische Liter.-Zeit. 1834. N. 141. 142. p. 513. sqq.) hanc vim textui illatam impugnavit. Huc accedit, quod Haase hac in re oblitus esse videtur consilii Xenophontis, quod antea ipse multis exposuerat. Non magis enim, quam amplam doctrinam historicam evolvere, severum ordinem in rebus enarrandis diligenter conservare voluit Xenophon, sed satis duxit, res sibi similes et necessa-

rio coniungendas coniunctim ponere, non adeo multum curans, quomodo singulae partes inter se cohaererent. — Quum vero in utramque partem, et ab Haasio ad suas transpositiones defendendas, et a Meiero ad eas refellendas, satis copiose sit disputatum, non est, quod singulas res, in quibus assentior Meiero, multis persequar. Sufficiat indicasse, me Meiero ita assentiri, ut vehementiores illas Haasii transpositiones (una, de qua statim dicam, excepta) non satis iustam ob causam esse factas statuam, probem autem duas istas leviores, alteram, ex qua cap. II. paragraphi 9. (quae Haasio est 11.) extrema verba: δηλοῦται δὲ — λαμβάνει in eiusdem paragraphi initio posita sunt (ita ut apud Haasium nunc extrema sint par. 10.), alteram, ex qua paragraphus, quae fuit 3. cap. X., posita est ante eiusdem capitis paragr. 2.

Illud vero cap. XIV., de quo dictum est, nemo est, qui dubitet, in fine totius libri esse ponendum, in qua re etiam ii consentiunt, qui id spurium esse arbitrantur. Quae quum ita sint, quaeritur, qui locus tribuendus sit capiti XV., quod nunc est in fine libri positum. Haase, et recte quidem, ut opinor, id anteposuit capiti XIII., Meier contra id illi capiti postponi vult, putans, Xenophontem serius demum cap. XV. adiecisse, quum rationem reperisset, qua etiam hac disciplinae Laconicae parte ad ethicum suum consilium uti posset, idemque cap. XV. non coniungendum esse cum cap. XIII., quo fere tantummodo de re militari ageretur. Verumtamen primum illa coniectura, Xenophontem serius illud caput adiecisse, quam infirmo aut potius nullo argumento nitatur, nemo non videt; neque ego Xenophonti

quam librario malam illius capitis transpositionem tribuere malim, et facio potius cum Haasio, qui (p. 246.) rectissime disputasse mihi videtur de causis, quae commoverint librarium (non enim negligentia id factum esse putat) ad hoc caput alieno loco ponendum. Deinde mihi persuadere non possum, capita, quae nunc sunt XIII. et XV., seiungenda esse ideo, quod illo fere unice de re militari sit sermo, itaque arctissime cohaereat cum antecedenti cap. XII. Omnia potius cap. XIII. verti mihi videntur circa regis personam et munus in bello, quod ipse Xenophon statim ab initio capitis declarat his verbis: *διηγήσομαι δὲ καὶ, ἣν ἐπὶ στρατιᾶς ὁ Λυκοῦργος βασιλεῖ δύναμιν καὶ τιμὴν παρεσκεύασε.* Qua in re fieri non potuit, quin aliquid de re militari immisceret scriptor rei militaris studiosissimus, atque si parr. 8 et 9. paulo longius a proposito, ad quod tamen statim redit, aberrasse alicui videatur, ille memoria teneat velim, Xenophontem hoc nostro libro non admodum studiosum fuisse severi ordinis, quam ipsam ob causam non opus esse arbitror, ut, quod Haase fecit, illae duae paragraphi ex hoc capite eiiciantur et in cap. XI. ponantur. Itaque, quamquam argumento primo loco ab Haasio prolato eique ex verbis Xenophontis: *ὅτι δὲ πολλὰ γράφω κ. τ. λ.* repetito non multum tribuerim, tamen cetera argumenta, quae protulit, tam gravia et idonea mihi sunt visa, ut non dubitem, cap. XV. recte ab eo positum esse ante cap. XIII. Neque etiam satis illa refutare potuit Meier. Quod vero hic dicit, particulam *καὶ* in verbis *διηγήσομαι δὲ καὶ κ. τ. λ.* pertinere ad totam enunciationem, id secus esse mihi videtur; sicuti enim in verbis capitis, quod antea fuit XV., *βούλομαι δὲ καὶ κ.*

τ. λ., καὶ pertinet ad βασιλεῖ, ita nostro quoque loco pertinere mihi videtur ad verbum primo loco positum. Illorum enim verborum (cap. XV.) haec, nisi fallor, est sententia: iam vero, quum exposuerim de ratione civium in republica, etiam eas, quas *regi* cum civitate pactiones fecit Lycurgus, enarrabo; ut igitur illo loco rex oppositus sit civibus. Nunc pergit cap. XIII., cui illud cap. XV. est anteponendum: enarratis iam iis, quae in universum pactiones ineundae fuerint regi, ea quoque, quae ei in bello sint munera, docebo.

CAPUT II.

DE AUCTORE, INDOLE AC FORMA LIBRI DE REPUBLICA ATHENIENSIUM.

1. *Inopia testimoniorum veterum scriptorum.*

Iam pervenimus ad alteram disputationis partem, qua de libro de republica Atheniensium disserere instituimus. Qua quidem in re in admodum magnas incurremus difficultates, quum nos destituant veterum scriptorum de illo libello testimonia, parum suppetant tractationes eius recentiores maximeque inter se dissentiant viri docti de eius consilio, auctore, forma atque de tempore, quo scriptus sit. Etenim unius solius, quod ego sciam, veteris scriptoris testimonium de hoc libello habemus, quod iam supra attulimus, quum de altero nostrae quaestionis libro disputaremus. Est illud *Diogenis Laërtii*, qui in vita Xenophontis hunc nostri libri scriptorem esse dicit, simul vero addit, *Demetrium Magnesium*, cuius tamen auctoritatem non esse adeo magnam supra vidimus, aliter de eo sentire. Quodsi vero Diogenis verba spectamus: Ἀγησίλαόν τε καὶ Ἀθηναίων καὶ Λακεδαιμονίων πολιτείαν, ἣν φησιν οὐκ εἶναι Ξενοφῶντος ὁ Μάγνης Δημήτριος, triplex obtinere potest interpretatio. Alii enim plerique putarunt, pronomen ἣν et ad librum de republica Lacedaemoniorum et vero etiam ad librum de republica Atheniensium pertinere, ita ut

Demetrius utrumque abiudicaverit Xenophonti. A ltera ratio haec est, ex qua ἦν tantummodo ad Λακεδαιμονίων πολιτείαν refertur, quam rationem secuti sunt *Harles* (introductio in histor. lingu. Gr. p. 165.), *Boeckh* (Staatshaush. d. Ath. I., p. 48.), *Schulz* (de Cyrop. epil. p. 8.) et, ut videtur, *Bornemann* (Xenoph. Apol. Socr. p. 15.). Praeterea id cuipiam in suspicionem veniat, Diogenem de utroque libro locutum esse tanquam de uno, vel certe de talibus, qui tam arcte cohaererent, ut unum solum librum efficere viderentur, quod num aliquid habeat veri similitudinis, infra videbimus.

Simili ratione quam testimoniorum veterum scriptorum etiam codicum manuscriptorum admodum exigua est copia, in quibus quidem, quantum sciam, is, de quo quaerimus, liber ubique aliis Xenophonteis scriptis et plerumque libello de republ. Lacedaemoniorum adiunctus reperitur. Eius quoque rei, quod perpauci sunt eius codices, si non certam, saltem probabilem causam num reperiamus, infra videbimus.

Quamvis autem ex illo Diogenis Laërtii testimonio, quacunque ratione id explicamus, id intelligamus, veteres, si non omnes, maiorem certe eorum partem in eo consensisse, Xenophontis esse librum de republica Atheniensium, tamen nostra aetate viri docti, qui ei interpretando operam dederunt, fere omnes tot tamque, ut videtur, gravia argumenta protulerunt, quibus librum de republ. Atheniensium Xenophonti abiudicarent, ut, si omnia ab illis disputata vera sint, fateamur necesse sit, verum fefellisse Diogenem Laërtium. Quae quidem res hanc nobis imponit necessitatem, ut cogitatione plane abducta ab externis argumentis, ex sola ipsius libri indole argumenta

quaeramus, quae nobis persuadeant, librum esse Xenophonti vel vindicandum vel abiudicandum.

2. *De consilio libelli.*

In hac quoque nostrae disputationis parte similis ratio ineunda erit, quam in priori. Omnium enim primum hic quoque videndum est, quod consilium habuerit scriptor in hoc libro componendo. Quemadmodum nos, quando aliquem librum in lucem edimus, in prooemio indicare solemus, quod consilium nobis proposuerimus in illo libro conscribendo, quidque spectaverimus, ita etiam veteres scriptores ab initio cuiusque scripti quod consilium habuerint declarare solent. Id nostri quoque libri auctor facit, quum dicit, se non probare quidem rationem reipublicae Atheniensium, quia plebeii homines meliore ibi fruantur condicione, quam nobiles; *ἐπεὶ δὲ ταῦτα οὕτως ἔδοξεν αὐτοῖς, ὡς εὖ διασώζονται τὴν πολιτείαν καὶ τἆλλα διαπράττονται, ἃ δοκοῦσιν ἁμαρτάνειν τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι, τοῦτ' ἀποδείξω.* Sed in his ipsis verbis, quibus nihil planius esse videatur, summa posita est difficultas, quum vehementer discrepent viri docti, serione an per ironiam ita dixerit scriptor. Quapropter, quum singula verba si spectamus in utramque partem possint explicari, solum ex tota libri indole et argumento coniectura fieri poterit de ratione, qua illam consilii sui declarationem intelligi voluerit scriptor. Itaque universum libri argumentum exponam, quum antea paucis indicavero, quid hac de re visum sit prioribus interpretibus.

Ac primum *Weiske* statuit (Xenoph. script. vol. VI. p. 57.), *hanc Ἀθηναίων πολιτείαν esse gravissimam*

illius populi censuram natam ex indignatione neque admodum cogitate scriptam, sed celeriter, uti ferebat animi motus, exaratam. Quatenus aliquid acerbae ironiae et irrisionis in hoc libro inesse censet, in ea parte cum eo consentiunt *Boeckh* (Staatshshlt. d. Ath. I, 48.), *Tittmann* (Darstellung der Griechischen Staatsverfassungen p. 340.), *Wachsmuth* (Hellenische Alterthumskunde vol. I., p. 2., pag. 81.), qui locum cap. II., 16. „*fast sarkastisch*“ vocat, quamquam ille dubium relinquit, num Xenophonti tribuendus sit noster liber (cf. etiam p. 270. 273. al.), et *Meier* in censura editionis Haasianae libri de republ. Lacedd. (Hall. L. Z. 1834. N. 141. p. 514.). Idem denique sensisse videtur *Gail*, Franco-Gallicus Xenophontis interpres, quum (Oeuvres de Xénophon traduites en françois, Paris l'an 3. Discours préliminaire p. IX.) haec scribit: „*Dans le second de ces opuscules* (libro de republ. Lacedd.) *on trouvera Xénophon quelquefois enthousiaste, quelquefois aussi on sera tenté de le soupçonner de partialité dans le premier* (libro de rep. Athen.).

Schneider contra illam Weiskii sententiam refellere studet; „*forma enim*,“ inquit (Xenoph. Opp. VI, p. 91.), *per totum libellum conspicitur apologiae et defensioni similis multo magis, quam censurae ex vindictae indignatione profectae.*“ *) *Delbrueck* (p. 143.) quoque serio scripsisse scriptorem censet, longeque etiam maioris momenti esse putat huius libelli con-

*) Mirum tamen est, Schneiderum ipsum duos nostri libri locos (cap. II, 1. et I, 13.) afferre, in quibus ironiam inesse non diffitetur (prolegg. p. 33. 37.)

silium, et quidem hoc: „*der leidenschaftlichen Theilnahme Griechenlands* (quam excitaturum sit argumentum scripti) *eine bestimmte Richtung zu geben, damit Freund und Feind wisse, wessen man sich zu versehen habe, wo die Athener Fuss fassten, und so über die grossen Begebenheiten der Zeit die öffentliche Meinung zu berichtigen und zu lenken.*“ *Christian* (Procem. ad version. German. p. 1298.), animum suum magis in Schneideri sententiam acclinans, hoc spectasse arbitratur scriptorem: „*zu zeigen, dass die Athener gut für die Erhaltung der Democratie sorgen, und sie, die Athener, gegen Vorwürfe zu vertheidigen.*“ Deinde etiam *Sauppe* (p. 8. particulae alterius quaestionum Xenophontearum, qua de republ. Atheniensium libellus in disceptationem vocatur, Torgov. 1832., quae dissertatio repetita est in Neues Archiv für Philologie und Paedagogik vol. III., p. 2., pag. 264 — 279.) se aliquid in hoc libro ironiae animadvertisse negat censetque, Xenophontem voluisse docere, „*Remp. Athen. parum quidem videri posse probabilem, quia plebeiorum melior ibi sit condicio quam optimatium, eandem vero summam merere laudem, quum, quae assequi velit, optime et consilio accommodatissime instituerit.*“ Serio scripsisse scriptorem putat denique etiam *Neumann*, qui in Prolegg. ad Aristotelis rerumpublicarum reliquias (p. 54.) Xenophontis librum de republica Atheniensium pariter atque alterum, qui est de republ. Lacedaemoniorum, ad id genus retulit, quod hodie statisticum dicunt. Reliqui, qui nostrum librum citant vel ut genuinum, uti *Krueger* (de vita Xenoph. quaestt. critt. p. 31.), *Schlosser* (Universal-

histor. Uebers. d. Gesch. d. alten Welt I, 2, 153.), vel ut spurium aut incerti scriptoris, ut *Wolf* (Vorlesungen üb. d. Alterthumswissenschaft ed. Guertler II, 296.), *Manso* (Sparta II, 496.), *Bernhardy* (Syntax p. 10. 24. 453.), *Heffter* (die Athenäische Gerichtsverf. p. 21. 84. 85.), et *Haase* (in edit. libr. de rep. Lacedd. prolegg. p. 1.), quid sibi de nostri libri consilio visum sit, non indicarunt.

Quodsi illam ultimam virorum doctorum sententiam probamus, scriptorem serio scripsisse atque Athenienses propter dexteritatem, qua statum popularem servarent, laudare eosque ab iniquis criminationibus defendere in animo habuisse, iam acta res est, neque ullis aliis etiam argumentis opus, nam tum planum est, Xenophontem huius libri scriptorem esse non posse, et miror, quod Sauppe rempubl. Atheniensium tamen Xenophonti tribuit, quamquam serio scripsisse putat scriptorem.*) Quomodo enim credamus, Xenophontem eiusmodi librum scripsisse, Xenophontem, cuius animum alienum potius fuisse ab Atheniensibus supra vidimus, quippe qui rempublicam non ex Socratis sententia institutam habebant, qui dilectum hunc Xenophontis praeceptorem capitis damnarunt ipsumque exsilio puniverunt? Xenophontem, qui ubique fere, ubi Athenienses commemorat, eos vituperat, qui eorum calamitates in Historia Graeca summa cum neglectione amoris patriae narrat (cf. Schlosser, Universalhistor. Uebers. d. Gesch. d. a. W. I, 2, 152. sq.), quem non pudebat, in pugna iuxta Coroneam

*) Ipse vero fatetur, Xenophontem a se ipso discrepare, quod nihil aliud significare puto, nisi hoc, librum non esse a Xenophonte profectum, idque ceteri omnes censent, qui serio scriptorem scripsisse existimant.

non a latere Agesilai discedere adversus Athenienses pugnantis?*). Itaque hoc quoque libro Athenienses vituperare multo melius conveniret ingenio Xenophontis, quam eos laudare et defendere.

Si igitur non temere omnem spem, rempublicam Atheniensium esse Xenophontis, abiicere volumus**), examinandum est, num forte Weiske haud iniuste disputaverit, inesse in hoc scripto ironiam quandam. Iam vero nova quaedam difficultas nascitur. Etenim, quantum novimus Xenophontem ex eius scriptis, a sincero eius animo aliena est ironia, id quod animadvertit etiam *Boeckh* (l. l.), qui tamen simul rectissime addit, eam bene potuisse nasci ex temporibus condicioneque scriptoris et argumento scripti, id quod melius etiam apparebit, credo, ex iis, quae sub finem disputationis (cap. III.) dicentur.

Contra *Christian*, quamquam non potest ille diffiteri, saepius ita loqui scriptorem, ut dubitationem apud nos moveat, serione an ironice locutus sit, tamen monuit, scriptorem, si per ironiam loqui voluisset, certo plane alium colorem aliamque formam pluribus locis indueturum fuisse. Quod quamquam non potest negari,

*) Non enim puto, cuiquam persuasurum esse Delbrueckium, qui (Xenophon p. 43.) scribit: „*Er trug kein Bedenken, dem Agesilaus in der Hauptschlacht, die er den Verbündeten bei Koronea lieferte, zur Seite zu stehen, Er, ein Athener, gegen Athener, aus Liebe zu Athen.*“

**) Nam nisi res ipsa cogit, non puto temere reiiciendas esse sententias veterum, praesertim quum fere omnes in eadem re consentiant, et quum sententia proposita sit a viro, cui eo maior fides habenda est, quod diligenter de his rebus inquisivit.

tamen tantum abest, ut ei sententiae, ex qua scripserit Xenophon illum librum Atheniensium irridendorum causa, repugnet, ut ad eam faciat. Quum enim, ut monitum est, Xenophon alibi non soleat ita ironia uti, sed potius ubique sincere, simpliciter ac vere dicere, nostro libro, nisi egregie fallor, ita loquitur, ut indignatus et simulationis quidem ignarus, sed hoc libro ex causis, quae infra afferentur, ironiae studiosus ea ratione fluctuet inter veram sui animi sententiam proferendam et cavillationem, ut haec paucioribus tantum, illa vero pluribus locis appareat, ipse autem universo libello Athenienses reprehendere potius et adeo vituperare atque irridere, praecipue propter imperium populare ipsi odiosum et propter studium eius servandi, quam defendere et laudare studeat.

3. *Expositio argumenti.*

Iam vero, ut videamus, num argumentum libri cum huc usque disputatis congruat, paululum accuratius illud exponamus necesse erit, ne quid, quod possit opponi, consulto omisisse, vel aliud, quod possit adiuvare meam sententiam neque vero insit in verbis scriptoris, adiecisse videar.

Ab initio suam veram sententiam profert scriptor. Non probo ego quidem, inquit (cap. I, 1.), formam reipublicae Atheniensium, quia improborum in ea condicio melior est, quam nobilium; sed quum semel iis collubitum sit, ita instituere popularem reipublicae statum, ego ostendam, quam pulcre eum servent et quam praeclare reliqua peragant, in quibus peccare videntur ceteris Graecis. (2.) Primum rectissime institutum est, plebeios

homines maioribus commodis frui, quam nobiles; nam eiusmodi reipublicae navium gubernatores, proretae, fabri nautici aliique eius generis homines maiorem afferre possunt utilitatem, quam boni cives. (3.) Eos autem honores, ex quibus universae reipublicae salus vel calamitas pendet, non petunt plebeii, bene intelligentes, maiorem sibi utilitatem afferri, si his ditiores fungantur; quodsi vero munus adipisci possunt, quod rem suam familiarem adiuvet, tum eo fungi admodum cupiunt. (4. 5.) Quodsi quidam mirantur, quod pauperibus maiora sunt commoda, id ipsum praeclare factum est, nam si nobilibus potior esset condicio, hi plebi, quae ubique est ignorans, temeraria et improba, fortiter resisterent, quo fieret utique, ut popularis ratio solveretur. (6.) In comitiis sententiam dicere cuique licet; nimirum si solis nobilibus viris id liceret, hi potius sui ordinis viris consulerent, quam plebi; nunc vero cuique etiam plebeio et improbo homini sententiam proferre licet, et ille quidem quid sibi eiusdemque farinae hominibus prosit iam reperiet. (7.) Dicat aliquis, eius generis hominem plane quid plebi utile sit nescire; at non nescit plebs, hominem pessimum quidem et nescium, sed qui ipsi amicus est, magis ipsi prodesse, quam virum probum et sapientem, sed ipsi malevolum. (8. 9.) Sane quidem eiusmodi respublica non utique esset optima, at quod Athenienses inprimis spectant, id hac ratione assequuntur, imperium scilicet plebis servatur; et huius quidem parvi interest, qualis sit condicio reipublicae, dummodo ipse imperet. Immo mala civitatis forma plebi est utilissima, et bona ex contrario in servitutem eam redigeret.

(10—12.) Servi et inquilini Athenis sunt impuden-

tissimi; neque licet verberare aliquem servum, quia facile aliquis possit Atheniensem quempiam verberare, opinatus, eum esse servum; etenim ingenui Athenienses vestitu et habitu non meliores sunt servis. Sinunt vero Athenienses luxuriosius eos vivere, quia propter rem nauticam iis carere nequeunt.

(13.) Artem gymnasticam et musicam negligunt, quia pauperiores sunt, quam ut possint liberales artes tractare; ex choragi autem, trierarchi et gymnasiarchi munere fructum percipere admodum cupiunt, quia eo et ipsi ditiores et divites pauperiores redduntur.

(14.) In sociis civitatibus odio persequuntur nobiles viros eorumque divitias sibi arripere student, quia hi ipsis possunt nocere, improbos contra, quocunque modo possunt, adiuvant. (15.) Dicat aliquis, maiori utilitati fore Atheniensibus, si socii possent divitias afferre; at plebi magis placet, singulum quemque Atheniensium possidere opes sociorum, illos vero tantum habere, quantum satis est ad necessarios vitae usus, ita ut ipsi insidiari nequeant. (16—18.) Sunt etiam, qui dicant, Athenienses in eo male agere, quod socios iudicia Athenis subire cogunt. At bene computant isti, quantum utilitatis ex eo capiunt; etenim per totum annum participes sunt redituum iurisdictionis; socios semper sibi obnoxios tenent; praecones hominesque, qui aedes vel iumentum vel servum locandum possident, meliore condicione fruuntur; socii denique Atheniensium manus prensare coguntur, quo fit, ut servi potius evadant populi Atheniensis. — (19. 20.) Accedit, quod Athenienses propter exteras ipsorum possessiones bene remigare didicerunt.

(Cap. II, 1 — 3.) Terrestres Atheniensium copiae

male sunt instructae, nam solummodo navium apparatui operam impendunt, bene intelligentes, quae commoda ipsis ex maris imperio proficiscantur, et quanto potentiores reliquis Graecis eo evadant. (4. 5.) Possunt enim, qui maris imperium tenent, interdum eos, qui terra sunt potentiores, variis modis vexare, longaque itinera possunt suscipere. (6) Non facile rerum ad vivendum necessariarum inopia laborant, quia semper commeatus iis patet. (7. 8.) Cognoverunt vero etiam varios bene epulandi modos et omnia undique irritamenta gulae maris imperio Athenis sunt conferta, ita ut Atheniensium sermo et vivendi ratio commixta sit ex Graecis et barbaris.

(9.) In sacrificiis quoque apparet plebeiorum aviditas; quum enim pauperiores sint, quam ut singulus quisque possit sacrificium offerre, invenit populus aliquod huius rei remedium; nimirum civitas victimas multas suppeditat, quibus populus, quum eas sacrificavit et inter se dividit, vescitur. (10.) Neque vero deest populo pecunia ad aedificanda gymnasia, apodyteria et balinea, quibus plebeii multo magis fruuntur, quam divites.

(10—13.) Quum maris imperium teneant Athenienses, factum est, ut assequerentur monopolium ceterisque, qui terra pollerent, optime possent nocere. (14. 15.) Tamen unum iis deest, quod scilicet non habitant insulam; hoc enim si iis contingeret, impune possent malefacere, quando vellent, neque metuendum iis esset, ne hostes iterum in ipsorum terram invaderent urbemque ope eorum, qui singulorum potentiae faverent, iterum caperent. (16.) Quum vero hoc iis non contigerit, nunc rem suam familiarem insulis credunt et Atticam vastari malunt.

(17.) Foedera et pacta in civitatibus, ubi a singulis tenetur imperium, serventur necesse est, negliguntur autem et laeduntur in iis rebuspublicis, in quibus populi summa est potestas, et tamen hic callide verbis se expedire scit; si quidem ex plebis scito aliquid damni oritur, paucos (τοὺς ὀλίγους) accusant; si quid boni, se ipsos eius auctores dicunt.

(18.) In comoediis non se ipsum quidem, sed eos tantum, quos odio persequitur, populus perstringi patitur. (19.) Opinor ego, bene intelligere populum Atheniensem, qui cives sint boni, qui improbi; amant vero eos, qui ipsis necessarii et utiles sunt, etiamsi sint improbi, et oderunt bonos atque nobiles cives, quos sibi nocere putant. (20.) Populare imperium ignosco quidem populo Atheniensi, nam sibi ipsi benefacere cuilibet est ignoscendum; qui vero non pertinens ad plebem in republica populari quam in civitate, quae a singulis tenetur, vivere mavult, ille mali aliquid perpetrare in mente habet.

(Cap. III, 1. 2.) Vituperant nonnulli Athenienses, quod interdum aliquis homo per unius anni spatium Athenis versans non possit transigere actiones forenses. At qui id fieri possit, quum populus sit negotiis obrutus? Ei enim primum festi dies celebrandi et lites transigendae sunt, quot nulli usquam terrarum alii populo; deinde multum consulendum est ei de bello, de reditibus, de legum latione, de iis, quae quoque tempore in urbe eveniunt, de sociis aliisque eiusmodi rebus. (3. — 6.) Dicunt quidam, ope pecuniae causas forenses citius diiudicari. Ego cum illis consenserim, pecunia multum effici Athenis, et plus etiam effectum iri, si gran-

dius pecuniae pondus afferretur. Sed tamen, etiamsi ingentes opes afferrentur, civitas cuiusvis precibus satisfacere non posset. Nam illud quoque diiudicandum est, si aliquis navem non paravit, aut aedificiis occupavit locum publicum aliaeque eiusmodi res, quae quotannis iis sunt diiudicandae. (7.) Verum dicat aliquis, oportere quidem illas res diiudicari, sed ita, ut pauciores sententiam ferant. At tum plura iudicia essent instituenda, ita ut in quoque tribunali sedeant pauciores iudices, quo fieret, ut multo facilius pecunia possent corrumpi. (8.) Praeterea cogitandum est, Atheniensibus festos dies esse celebrandos, in quibus non licet ius dicere. Quod autem alteros tantos dies festos celebrant, quam reliqui Graeci, eo non adducor, ut pluris existimem Athenienses. (9.) De republica Atheniensium desperandum est, nam possent quidem multa reperiri, quibus melior efficeretur eius status, neque vero facile ita, ut simul servaretur populi imperium, nisi sensim aliud detraheretur, aliud adderetur.

(10. 11.) Putantur Athenienses in ea quoque re non bene sibi consulere, quod in rebuspublicis dissidentibus ad partes plebeiorum se applicant. At consulto id faciunt; nam plebeii idem sentiunt, quod ipsi, et similes semper benevoli sunt similibus, atque quoties a partibus nobilium steterunt Athenienses, nulli iis utilitati id fuit. (12.) Coniiciat aliquis, Athenis neminem iniuria notatum esse infamia, sed tamen opinor, aliquos, nempe optimates quosdam, iniuria amisisse civitatem, sed qui, quum pauciores sint, nullum reipublicae periculum afferent. (13.) Quomodo autem aliquis putet, Athenis plebeios iniuria privari honoribus et civitate, ubi populus magi-

stratus gerit? Nam tam fiunt Athenienses infames, quum iniuste gerunt magistratus, aut ininsta dicunt vel agunt.

4. *Non solum universum argumentum, sed singuli quoque eius loci congruunt cum Xenophontis sentiendi ratione.*

Iam si integre hoc libri de republica Atheniensium argumentum consideraverimus, nisi omnia me fallunt, concedamus necesse erit, nihil in eo inesse laudis populi Atheniensis. Ego quidem me ne vestigium quidem eius neque quidquam, nisi vituperationem animadvertisse fateor. Quid enim, quaeso, fortius dici potest illis verbis (I, 5.): ἔστι δὲ ἐν πάσῃ γῇ τὸ βέλτιστον ἐναντίον τῇ δημοκρατίᾳ· — ἐν δὲ τῷ δήμῳ (ἔνι) ἀμαθία τε πλείστη καὶ ἀταξία καὶ πονηρία· ἥ τε γὰρ πενία αὐτοὺς μᾶλλον ἄγει ἐπὶ τὰ αἰσχρὰ, καὶ ἡ ἀπαιδευσία καὶ ἡ ἀμαθία δι' ἔνδειαν χρημάτων ἐνέωσις (ut pro suo more egregie emendavit Hermann) τῶν ἀνθρώπων? Quid acerbius his (I, 10.): ἐσθῆτα τε γὰρ οὐδὲν βελτίω ἔχει ὁ δῆμος αὐτόθι (Ἀθήνῃσι), ἢ οἱ δοῦλοι καὶ οἱ μέτοικοι, καὶ τὰ εἴδη οὐδὲν βελτίους εἰσίν? Atque illis (II, 8.): οἱ μὲν Ἕλληνες ἰδίᾳ μᾶλλον καὶ φωνῇ καὶ διαίτῃ καὶ σχήματι χρῶνται· Ἀθηναῖοι δὲ κεκραμένῃ ἐξ ἁπάντων τῶν Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων?*) Per totum librum voces ὁ δῆμος, οἱ πένητες

*) Permirum est, quod comminiscitur *Gail*, qui hunc locum Atheniensium laudandorum causa dictum esse putat. Scribit enim ille (Oeuvres complettes de Xénoph. traduites en françois, vol. I. p. 1. p. 56.) ita: „*Dans ce 2e chapitre l'homme de lettre s'arrêtera sur le passage qui nous explique l'une des causes qui ont concouru au perfectionnement de la langue grecque.*

et οἱ πονηροὶ idem valent. Ubique obiurgatur populus de vitiis quibusdam, ut de aviditate et suarum rerum studio, inprimis, si ex tot locis singuli sunt proferendi, cap. I, 3. 13. 14. II, 9.; de imperii cupiditate, I, 8.; de iniustitia et iniquitate in bonos cives et socias civitates, I, 14. 16. II, 17. 18.; de intemperantia, II, 7.; de arrogantia, II, 17.; de animo corruptelae facili, III, 3. 7.; de impietate, III, 8.; de neglectione artis gymnasticae et musicae, I, 18. cet. Ubique depingit calamitatem, quam secum trahat popularе imperium, describit, quae morum depravatio inde nascatur et ad quam iniquitatem et iniustitiam regni cupiditas adducat populum; nam etiamsi eiusmodi populari imperio externa condicio contingat splendidissima, sicuti Atheniensibus, tamen intus civitas est perturbata omnique scelere lacerata. Et ita quidem describitur magnifica illa et splendida miseria, ut scriptor proprie quidem id sibi proposuisse videatur, ut popularе imperium universum perstringat (cf. inprimis I, 5. II, 20.), sed quum apud Athenienses illud ad summum gradum pervenisset ipseque his maxime infensus esset, omnes criminationes in hos contulisse.

Laudis igitur, nisi egregie fallor, nihil inest in no-

Comme les Athéniens, nous dit Xénophon, ont entendu parler toute sorte de langues, ils ont pris de celle-ci telle expression, telle autre de celle-là, et tandis que le reste des Grecs conserve scrupuleusement son idiome particulier, ses moeurs, son costume, ils ont fait un heureux mélange de ce qu'ils ont trouvé de plus parfait chez les Grecs et les barbares.“ Nunquam vero quemquam fore puto, qui cum Gailio consentiat, vernaculae linguae perfectionem adiuvari admixtione vocabulorum ex quavis lingua barbara petitorum.

stro libro. At sunt, qui dicant, eum continere Atheniensium defensionem contra iniquas criminationes. Scilicet alios inducit quasi accusantes Athenienses, quorum criminationes ipse deinde dissolvit. Sed qua, quaeso, ratione id facit? Nunquam non ita, quantum ego intelligo, ut defensio acerbiorem contineat vituperationem, quam criminatio. In his enim omnibus excusationibus inest illa, quam in hoc libro inesse dixi, ironia, et sub specie defendendorum Atheniensium eo acerbius eos perstringit, atque de calliditate et astutia propriaeque utilitatis cupiditate obiurgat, quo pertinent inprimis cap. I, 4. 6. 7. 15. 16—18. III, 1. sq. etc., quos omnes locos pluribus illustrare et longum nec opus est. Quem porro fugit illa derisio populi Atheniensis, quae inest in cap. II, 14.: *ἑνὸς δὲ ἐνδεεῖς εἰσίν· εἰ γὰρ νῆσον οἰκοῦντες θαλαττοκράτορες ἦσαν Ἀθηναῖοι, ὑπῆρχεν ἂν αὐτοῖς ποιεῖν μὲν κακῶς εἰ ἠβούλοντο, πάσχειν δὲ μηδέν κ. τ. λ.*? Et in his (cap. II, 20.): *δημοκρατίαν δ' ἐγὼ μὲν αὐτῷ τῷ δήμῳ συγγιγνώσκω· αὐτὸν μὲν γὰρ εὖ ποιεῖν παντὶ συγγνώμη ἐστίν*? Similis ironia inest in cap. II, 7., ubi de luxuria loquitur, quae ex maris imperio Athenis fuerit orta. Ne vero illi opinioni, in hoc quoque loco inesse ironiam, id opponat aliquis, quod scriptor illas res dicit *leviores*, quae vox in hoc nexu carere videatur ironia. At quum luxuriam quam maxime sperneret Xenophon atque ubique modestiam commendaret, simul autem non nesciret, Athenienses illam plurimi aestimare, fluctuans quasi inter veritatem et derisionem serioque admiscens ironiam, verbo ambiguo (*σμικροτέρα*) usus est, quod proprie sane neque cum sua (nam non solum minoris, sed adeo plane nihili habebat et contemnebat

potius luxuriam), neque cum populi sententia conveniret. Neque etiam illa verba acerba quadam ironia carent (cap. III, 13.): *πῶς ἂν οὖν ἀδίκως οἴοιτό τις ἂν [τοὺς] πολλοὺς ἠτιμῶσθαι Ἀθήνησιν, ὅπου ὁ δῆμός ἐστιν ὁ ἄρχων τὰς ἀρχάς; ἐκ δὲ τοῦ μὴ δικαίως ἄρχειν μηδὲ λέγειν τὰ δίκαια ἢ πράττειν, ἐκ τοιούτων ἄτιμοί εἰσιν Ἀθήνησιν.*

Huc pertinent denique tres loci, ex quibus solis apparere mihi videtur, nostrum librum non carere ironia et cavillatione. Quos tamen locos, fortasse quia ironia in iis agnosci nequit itaque nimis recedere videantur illi a cetera libri parte, *Hermann*, cuius de nostro libro sententiae cognitionem debemus *Sauppio* (dissertationis supra laudatae p. 9. et 10.), tanquam non a Xenophonte profectos deleri vult. Verumtamen, quum ego quidem non solum cum reliquo argumento, quale mihi esse videtur, eos optime congruere opiner, sed etiam unum certe eorum alio simili Xenophontis loco, quem infra afferam, firmare posse mihi videar, a Summo Viro dissentiendum esse puto, praecipue etiam, quum Sauppe nobiscum non communicaverit rationes, quae Hermannum moverunt ad illos locos eiiciendos. In universum autem opinor, si de alicuius libri fide et indole recte iudicare volumus, eo utendum esse tali, qualis nobis servatus est, neque temere eiicienda esse, quae nostrae opinioni praeiudicatae adversentur, aut emendationibus inferenda, quae eam adiuvent, nisi forte quae omnes codices exhibent nullo pacto defendi possunt, quum aut singula verba scriptoris dicendi rationi vel grammaticis regulis repugnant, aut singuli loci aliis eiusdem libri partibus contrarii sunt. Videantur autem saepius alii loci alicuius

libri contrarii esse aliis, quae tamen repugnantia, si utrique loci accurate considerantur, interdum facile evanescit.

Est vero unus locus (cap. I, 2.) hic: *καὶ γὰρ οἱ κυβερνῆται καὶ οἱ κελευσταὶ καὶ οἱ πεντηκόνταρχοι καὶ οἱ πρωρᾶται καὶ οἱ ναυπηγοί, οὗτοί εἰσιν οἱ τὴν δύναμιν παρατιθέντες τῇ πόλει πολὺ μᾶλλον ἢ οἱ πολῖται οἱ γενναῖοι καὶ οἱ χρηστοί*, quibus verbis hoc fere, nisi fallor, exprimere vult: aliae civitates, quae meliore forma fruuntur, ita sunt comparatae, ut in bonorum ac nobilium civium manibus, quorum maximus est patriae amor maximaque peritia et prudentia, salus reipublicae sit posita, sed in Atheniensium populari imperio salus reipublicae pendet a bona voluntate hominum ex infima plebe, qui nihil spectant, nisi suum proprium commodum. Quocum loco alius potest conferri, cap. I, 17., cuius similis sententia esse mihi videtur, nimirum haec: tantum valent Athenis plebeii homines, ut propter levia quaedam eorum commoda socii cogantur, Athenis ius petere, nam *εἴ τῳ συνοικία ἐστὶν, ἄμεινον πράττει· ἔπειτα εἴ τῳ ζεῦγός ἐστιν ἢ ἀνδράποδον μισθοφοροῦν· ἔπειτα οἱ κήρυκες ἄμεινον πράττουσι διὰ τὰς ἐπιδημίας τὰς τῶν συμμάχων.* Alius denique locus, ex quo simili ratione apparebit, quam parvi habuerit Xenophon cives Athenienses, quia infimae plebis homines multo plus valerent nobilibus, neque ille ironia carens, infra afferetur.

Alter locus est cap. I, 8.: *ὁ γὰρ δῆμος οὐ βούλεται, εὐνομουμένης τῆς πόλεως, αὐτὸς δουλεύειν, ἀλλ' ἐλεύθερος εἶναι καὶ ἄρχειν· τῆς δὲ κακονομίας αὐτοῦ ὀλίγον μέλει· ὁ γὰρ σὺ νομίζεις οὐκ εὐνομεῖσθαι,*

αὐτὸς ἀπὸ τούτου ἰσχύει ὁ δῆμος καὶ ἐλεύθερός ἐστι. Quamvis enim ea, quae par. 9. sequuntur, aliena esse videantur a nostro loco, tamen me non satis intelligere fateor, quid causae sit, cur haec quoque inde a verbis ὁ γὰρ, ut Hermann vult, deleamus, nam arctissime cum antecedentibus cohaerere mihi videntur. Haec enim, nisi fallor, horum verborum est sententia: populus, modo imperet, malam reipublicae condicionem parum curat, neque etiam est, per ironiam pergit, quod eam curet, nam populare imperium ita est institutum, ut legum neglectio atque licentia, quae bene constitutae reipublicae interitum paratura esset, istud muniat.

Tertius denique omnium luculentissimus locus est cap. I, 10., ubi de servorum et inquilinorum impudentia est sermo: εἰ νόμος ἦν, τὸν δοῦλον ὑπὸ τοῦ ἐλευθέρου τύπτεσθαι ἢ τὸν μέτοικον ἢ τὸν ἀπελεύθερον, πολλάκις ἂν, οἰηθεὶς τὸν Ἀθηναῖον εἶναι δοῦλον, ἐπάταξεν ἄν· ἔσθητά τε γὰρ οὐδὲν βέλτίω ἔχει ὁ δῆμος αὐτόθι ἢ οἱ δοῦλοι καὶ οἱ μέτοικοι, καὶ τὰ εἴδη οὐδὲν βελτίους εἰσίν. Dixit de hoc loco Weiske (pag. suae edit. 61.), ***servos non potuisse distingui a civibus, id nequaquam ex proprio verborum sensu accipiendum esse***, et deinde ostendere studuit, ***id neque factum esse, neque omnino fieri potuisse, ut ingenui tam similes apparuerint servis***, et statuit potius, ***intelligi velle auctorem, vehementer peccare Athenienses, qui servos non publicis legibus intra servilem condicionem contineant et neglecta gymnastica ipsi servorum speciem induant.*** Contra pluribus monstrare conatus est Schneider (pag. 86. sq.), re vera fieri potuisse, ut non distinguerentur pauperiores

cives a servis. Utcunque vero ea res se habet, illud certum est, Xenophontem, vel quicunque fuit libelli auctor, si laudare et defendere voluisset Athenienses, non potuisse adiicere hanc causam, qua acerbissima continetur populi Atheniensis irrisio, sed haud dubie aut plane eam omisisset, aut veram causam, quae in bello sita fuit, indicasset. Quod enim Boeckh (Staatshshltg. d. Ath. I, 346.) dicit, illam veram causam eo tempore, quo liber, de quo quaerimus, compositus est, fortasse ignotam fuisse, id ita tantum probandum esse puto, ut populum quidem eius tum oblitum fuisse censeam, neque vero eam Xenophontem, virum litteratissimum, latuisse verisimile est, quum etiam scholiastae, qui ad Aristoph. Nub. v. 7. eam indicavit, innotuerit.

Quodsi igitur quae huc usque disputavimus vera sunt, non modo nihil nos impedit, quominus etiam ipsius scriptoris declarationem sui consilii per ironiam scriptam esse censeamus, sed adeo totum libri argumentum nobis suadet, ut eam ita intelligamus. Et profecto illa verba ita comparata esse mihi videntur, ut facillime in iis agnosci possit ironia. Iam verbum ἔδοξεν, nisi fallor, ea non omnino caret: ἐπεὶ δὲ ταῦτα οὕτως ἔδοξεν αὐτοῖς, i. e. quum iis ita placeret, quum eorum libidini ita gratum videretur. Tum vero verba ὡς εὖ pro certo ponere posse mihi videor hoc nexu nihil aliud significare, nisi hoc: quam pulcre, quam praeclare, quibus artificiis, quemadmodum etiam *Dindorf* ea intellexisse videtur, quum in summario huius libelli (suae edit. p. XXXVI.), hac in re a Schneidero recedens, ita scribit: „*docere instituit, populum Atheniensem callide res componere, ut statum popularem conservet.*“ Valde

antem miror, quod Weiske, quamquam ironiam in toto libro agnoscit, tamen eam in illo loco inesse non est suspicatus.

Iam apparebit, universum nostri libri argumentum non esse tale, quale non apte potuerit proficisci a Xenophonte. Nam eadem vitia, quae Xenophon, Socratis discipulus, omnium maxime oderat, populo Atheniensi obiiciuntur, aviditas, iniquitas, intemperantia, impietas; ubique acerbissime vituperatur populare imperium, cui infestissimus erat Xenophon; videmus (inprimis ex cap. III, 8. 9.) scriptori magnam esse civitatis constituendae sapientiam, id quod accommodatissimum est Xenophonti, qui ipse quondam rempublicam condere in mente habuerat (Anab. V, 6, 15. sqq.); agitur denique de rebus, quae maximae curae erant Xenophonti et quarum peritissimus esse debuit. Accedit, quod scriptor loquitur interdum tanquam Atheniensis, id quod priores interpretes iam monuerunt, utens prima persona: cap. I, 12., ubi bis ἐποιήσαμεν legitur (quod tamen ex Hermanni emendatione, teste Sauppio l. l. p. 11., sublatum est), et tamen tanquam a patria absens, quum de Athenis loquens particula αὐτόθι utatur (I, 2. 10. 11. 13. III, 1. 6.), atque tanquam optimas et contemptor imperii popularis, qui civitatem, in qua penes paucos est summa rerum potestas, reipublicae populari longe praefert (II, 20): ὅστις δὲ μὴ ὢν τοῦ δήμου εἵλετο ἐν δημοκρατουμένῃ πόλει οἰκεῖν μᾶλλον ἢ ἐν ὀλιγαρχουμένῃ, ἀδικεῖν παρεσκευάσατο κ. τ. λ. Quae omnia optime in Xenophontem quadrare, nemo est, qui non videat.

At non negligendum est, quod si recte nostri libri scriptori a Weiskio obiectum esset, sane illum etiamnunc eripere posset Xenophonti. Scribit enim ille (p. 63.)

ita: „*Per totum sane librum a se ipso discrepare videtur Xenophon, quia nusquam de civibus suis tam duriter statuit, et omnino ea de rebus politicis iudicia, quae hic persequitur, in aliis libris non ponit.*“ Et paulo post (p. 64.): „*Pleraque omnia ultra veritatem et fidem augentur.*“ Illa in re cum eo consentiunt omnes, qui librum Xenophontis esse negant, et praeterea etiam, ut iam indicatum est, Sauppe (l. l. p. 8.): *Quamquam illud facile largior, per totum librum a se ipso discrepare Xenophontem, neque illum dignum videri nomine eius, qui Cyropaediam composuerit.*“ Quod vero Weiske dicit, pleraque ultra veritatem esse aucta, id iam a Schneidero ostensum est non ita se habere neque latebit quemquam in historia antiquitatis bene versatum. Verum quod supra iam significavi, Xenophontem alibi quoque acerbe vituperare Athenienses, id argumentis est comprobandum, ex quibus simul apparebit, nostro libro nihil fere obiectum esse Atheniensibus, quod non alibi quoque in iis vituperaverit.

Ac primum cum illo loco cap. I, 2., de quo iam dictum est: *καὶ γὰρ οἱ κυβερνῆται καὶ οἱ κελευσταὶ καὶ οἱ πεντηκόνταρχοι καὶ οἱ πρωρᾶται καὶ οἱ ναυπηγοί, οὗτοί εἰσιν οἱ τὴν δύναμιν παρατιθέντες τῇ πόλει, πολὺ μᾶλλον ἢ οἱ πολῖται οἱ γενναῖοι καὶ οἱ χρηστοί*, quo perstringitur magna illa auctoritas, qua plebeii homines Athenis fruantur, bene congruit locus, quo ex aeque abiectis hominibus contionem Atheniensium constare dicit, Mem. III, 7, 6.: *πότερον γὰρ τοὺς γναφεῖς αὐτῶν ἢ τοὺς σκυτεῖς ἢ τοὺς τέκτονας ἢ τοὺς χαλκεῖς ἢ τοὺς γεωργοὺς ἢ τοὺς ἐμπόρους ἢ τοὺς ἐν*

τῇ ἀγορᾷ μεταβαλλομένους καὶ φροντίζοντας ὅ τι ἐλάττονος πριάμενοι πλείονος ἀποδῶνται αἰσχύνῃ; ἐκ γὰρ τούτων ἁπάντων ἡ ἐκκλησία συνίσταται.

Porro de populi Atheniensis aviditate et, quae inde necessario secuta est, vexatione ac persecutione divitum atque nobilium (I, 3. 13. 14. II, 9.) saepius etiam alibi queritur, v. c. Mem. II, 9, 1.: οἶδα δέ ποτε αὐτὸν καὶ Κρίτωνος ἀκούσαντα, ὡς χαλεπὸν ὁ βίος Ἀθήνησιν εἴη ἀνδρὶ βουλομένῳ τὰ ἑαυτοῦ πράττειν. Νῦν γὰρ, ἔφη, ἐμέ τινες εἰς δίκας ἄγουσιν, οὐχ ὅτι ἀδικοῦνταί ὑπ' ἐμοῦ, ἀλλ' ὅτι νομίζουσιν ἥδιον ἄν με ἀργύριον τελέσαι ἢ πράγματα ἔχειν. Tum Anab. IV, 6, 16.: καὶ ἐγὼ ὑμᾶς ἀκούω τοὺς Ἀθηναίους δεινοὺς εἶναι κλέπτειν τὰ δημόσια (καὶ μάλα ὄντος δεινοῦ τοῦ κινδύνου τῷ κλέπτοντι), καὶ τοὺς κρατίστους μέντοι μάλιστα, εἴπερ ὑμῖν οἱ κράτιστοι ἄρχειν ἀξιῶνται. Conviv. IV, 30.: ἐγὼ τοίνυν ἐν τῇδε τῇ πόλει, ὅτε μὲν πλούσιος ἦν, πρῶτον μὲν ἐφοβούμην, μή τίς μου τὴν οἰκίαν διορύξας καὶ τὰ χρήματα λάβοι, καὶ αὐτόν τί με κακὸν ἐργάσαιτο. Ibid. 32.: καὶ εἰμὶ μὲν νῦν (ἐπειδὴ τῶν ὑπερορίων στέρομαι) τυράννῳ ἐοικώς, τότε δὲ σαφῶς δοῦλος ἦν· καὶ τότε μὲν ἐγὼ φόρον ἀπέφερον τῷ δήμῳ, νῦν δὲ ἡ πόλις τέλος φέρουσα τρέφει με.

Deinde quod cap. I, 8. dicit, populum malle ipsum imperare, itaque non obsequi magistratibus, idem acerbissime etiam alibi iis obiicit, ut Mem. III, 5, 16.: οἱ (Ἀθηναῖοι) καὶ ἀγάλλονται ἐπὶ τῷ καταφρονεῖν τῶν ἀρχόντων. Cf. Remp. Lacedd. VIII, 1., et quae supra (p. 23. sq.) ad illum locum dicta sunt.

De neglectione quoque artis gymnasticae, ob quam

scriptor nostri libri cap. I, 13. Athenienses vituperat: *τοὺς δὲ γυμναζομένους αὐτόθι καὶ τὴν μουσικὴν ἐπιτηδεύοντας καταλέλυκεν ὁ δῆμος*, etiam alibi Xenophon eosdem obiurgat, v. c. Mem. III, 5, 15.: (*πότε γὰρ Ἀθηναῖοι ὥςπερ Λακεδαιμόνιοι*) *σωμασκήσουσιν οὕτως; οἳ οὐ μόνον αὐτοὶ εὐεξίας ἀμελοῦσιν* (cf. Remp. Athen. I, 10.), *ἀλλὰ καὶ τῶν ἐπιμελουμένων καταγελῶσιν.*

Propterea porro, quod tam litigiosi erant, quam nullus alius populus, et nostro libro reprehenduntur Athenienses (cap. III, 2.): *ἔπειτα δὲ* (*δεῖ Ἀθηναίους*) *δίκας καὶ γραφὰς καὶ εὐθύνας ἐκδικάζειν, ὅσας οὐ οἱ σύμπαντες ἄνθρωποι ἐκδικάζουσιν κ. τ. λ.*, et vero etiam alibi, ut Mem. III, 5, 16.: *πότε δὲ οὕτως* (*Ἀθηναῖοι ὥςπερ Λακεδαιμόνιοι*) *ὁμονοήσουσιν; οἵ γε ἀντὶ μὲν τοῦ συνεργεῖν ἑαυτοῖς τὰ συμφέροντα ἐπηρεάζουσιν ἀλλήλοις καὶ φθονοῦσιν ἑαυτοῖς μᾶλλον ἢ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις, μάλιστα δὲ πάντων ἔν τε ταῖς ἰδίαις συνόδοις καὶ ταῖς κοιναῖς διαφέρονται καὶ πλείστας δίκας ἀλλήλοις δικάζονται, καὶ προαιροῦνται μᾶλλον οὕτω κερδαίνειν ἀπ᾽ ἀλλήλων ἢ συνωφελοῦντες αὐτούς κ. τ. λ.*

Deinde etiam iudicum iniustitia et animus corruptioni facilis, ut nostri libri cap. III, 7., sic alibi quoque reprehenditur; ut Apol. Socr. 4.: *οὐχ ὁρᾷς τὰ Ἀθηναίων δικαστήρια ὡς πολλάκις μὲν οὐδὲν ἀδικοῦντας λόγῳ παραχθέντες ἀπέκτειναν, πολλάκις δὲ ἀδικοῦντας ἢ ἐκ τοῦ λόγου οἰκτίσαντες ἢ ἐπιχαρίτως εἰπόντας ἀπέλυσαν;* cf. etiam Mem. IV, 4, 4.

Pravitatis denique in universum acerbissime accusantur Athenienses Mem. III, 5, 17.: *ἐξ ὧν πολλὴ μὲν*

ἀπειρία καὶ κακία τῇ πόλει ἐμφύεται, πολλὴ δὲ ἔχθρα καὶ μῖσος ἀλλήλων τοῖς πολίταις ἐγγίγνεται, δι' ἃ ἔγωγε μάλα φοβοῦμαι ἀεὶ, μή τι μεῖζον ἢ ὥστε φέρειν δύνασθαι κακὸν τῇ πόλει συμβῇ.

Omnes reliquos nostri libri locos, quibus in aliis Xenophonteis libris similes reperiuntur, enarrare longum est. Commemorasse etiam sufficiat, cum nostri libri cap. I, 3. et 13. bene congruere Oecon. II, 6., et cap. I, 19. similem esse locum Hist. Gr. VII, 1, 3. sq.

Quamvis autem haec omnia optime congruant cum iis, quae alibi Xenophon elocutus est, tamen cuipiam in mentem venire possit, inesse in nostro libro aliqua, perpauca quidem, quae repugnent Xenophontis ingenio aut aliis eius locis. Sic primum *Weiske* (p. 66.) opinatus est, locum cap. II, 14—16. prudentia Xenophontis non esse dignum, neque satis consentire cum dictis cap. 1. de Vectig. At Weiske ne non recte intellexerit nostrum locum vehementer vereor. Mihi quidem nihil in eo inesse videtur, quod illi alteri loco repugnet. Etenim primo capite libri de Vectigalibus, ubi omni asseveratione veram sui animi sententiam profert, opportunum Athenarum situm depingit, quod ipsum nostro quoque libro facit, quamquam paulo alia ratione, ut II, 6. et 11. sq., ubi tamen commoda populi Atheniensis potius in maris imperio originem habere ait, sed id ipsum maxime adiutum est opportunitate loci. Certo vero Weiske animum non advertit ad ironiam, quae nostro loco apertissima est, cuius haec fere est sententia: Valde id incommode Atheniensibus accidit, quod insulam non incolunt; hoc enim si esset, possent prorsus ad libidinem agere, possent mala perpetrare, quot et quanta vel-

lent, neque metuendum iis esset, ne hostis improviso eos opprimeret. Dicere ergo vult: haud multum abest, quin populus Atheniensis tam stultus sit, ut malit terram patriam, quae ei prosperrima contigit, destituere, modo possit impune malefacere. Non intelligo, quomodo hic locus, quem Atheniensium acerbe deridendorum causa scripsit, repugnare possit illi verae Xenophontis sententiae. Profecto, si revera illud spectasset Xenophon, quod consilium Weiske ei substituit, *ut populus relicto agro Attico in aliquam insulam propinquam commigraret*, meliore iure dicere potuit Weiske, illa verba non satis digna videri prudentia eius.

Non magis intelligo, quomodo, id quod cuipiam in mentem venire posse significavit *Boeckh* (Staatshshltg. I, 48.), nostri libri cap. I, 10. repugnet iis, quae cap. II. libelli de Vectigal. dicta sunt. Verum est, Xenophontem nostro loco queri de maxima inquilinorum Atheniensium insolentia, et eundem illo altero loco proponere, ut eorum numerus augeatur iisque maiora etiam commoda concedantur. Sed primum, etiamsi alter locus alteri repugnaret, tamen id bene posset inde explicari, quod in utroque libro componendo diversum et adeo sibi contrarium consilium secutus est Xenophon, id quod etiam Boeckh (l. l.) significavit. Nostro enim libro vituperare vult Athenienses, itaque illustrat tantummodo incommoda, quae afferant inquilini; altero autem libro, quo augendos spectat reditus Atheniensium, eorundem utilitatem indicat. Deinde vero reapse sibi non repugnant, id quod patet ex iis, quae nostri libri cap. I, 12. sequuntur: *διὰ τοῦτο οὖν ἰσηγορίαν καὶ τοῖς δούλοις πρὸς τοὺς ἐλευθέρους ἐποιήσαμεν· καὶ τοῖς μετοίκοις*

πρὸς τοὺς ἀστούς, διότι δεῖται ἡ πόλις μετοίκων, διά τε τὸ πλῆθος τῶν τεχνῶν καὶ διὰ τὸ ναυτικόν, vel ex Hermanni emendatione: καὶ ἐλευθέρους ἀφιέναι (ex par. 11., omissis verbis ὅπου δ' εἰσί — διὰ τοῦτο οὖν) ἰσηγορίαν καὶ τοῖς δούλοις πρὸς τοὺς ἐλευθέρους καὶ τοῖς μετοίκοις πρὸς τοὺς ἀστούς, διά τε τό πλῆθος τῶν τεχνῶν καὶ διὰ τὸ ναυτικόν. Itaque haec fere, nisi fallor, est vera Xenophontis sententia: Vehementer dolendum est, quod Atheniensium respublica ita est comparata, ut carere nequeat inquilinis. Quod quum ita sit, necesse est, paulo maiora iura iis concedantur, unde sane fieri non potest, quin iusto liberius vivant.

Praeterea universo libro crimini dat Weiske, eum non praestare, quod promissum sit a scriptore. Quod vehementer vereor ne non recte obiecerit scriptori, propterea, quod significationem argumenti serio scriptam esse putat. Congruit vero vel maxime totus liber cum illa argumenti significatione. Nimirum ostenditur ubique, quibus artibus servent Athenienses populare imperium, et quam praeclare et callide res suas agant. Nullam autem inscriptionis esse rationem habendam, Weiske ipse profitetur; nam illa haud dubie a Xenophonte profecta non est, neque fortasse potuit ab eo proficisci, quod ex infra dictis apparebit.

Idem vir doctus, quum Xenophon hoc libro a se ipso discrepare ei videretur, quia nusquam de civibus suis tam duriter statueret (quam sententiam probavit etiam *Christian* p. 1300.), causam quandam quaerendam esse putavit, quae Xenophontem commoverit ad hanc scribendi rationem, statuitque (p. 63. sq.), *eum illo*

ipso tempore, quum nuntium acciperet de exsilio suo, aut paulo post, recenti dolore commotum, haec exarasse celeriter, ut de rerum ordine verborumque delectu non multum cogitaret. Propter poenam publice sibi irrogatam, pergit, *non mirum est, si populo succensuit et gravi commotus fuit indignatione, praesertim ab initio, quum nondum haberet commodam ad habitandum sedem.* Primum autem Schneider recte ei obiecit, non esse probabile, Xenophontem, Socratis discipulum, animi sui ita impotentem fuisse, ut accepto nuntio de exsilio statim iram suam et indignationem contra cives Athenienses et exsilii auctores proloqueretur. Tum etiam Christian (p. 1301.) recte monuit, Xenophontem, quum exsilii sui nuntium acciperet, in castris fuisse, itaque non esse probabile, ei tum otium fuisse indignationis suae hoc libello enuntiandae. Quod vero Christian addit, eum serius, quum a Lacedaemoniis amicissime et benignissime exceptus esset, non tam acerbe scripturum fuisse, de ea re sub finem disputationis nostrae dicetur.

5. *De tempore, quo scriptus esse videatur liber de republica Atheniensium.*

Quodsi ea, quae huc usque disputata sunt, diligenter animo perlustraverimus et nobiscum versaverimus, certo reperiemus, sententias libro quaestionis propositas nos non modo non impedire, quominus hunc tribuamus Xenophonti, sed adeo nobis persuadere, eum esse genuinum, quia neque universum eius argumentum neque singulae eius partes abhorrent a Xenophontis ingenio et

indole, quin etiam totum ei est accommodatissimum.*) At nondum ille possessionem libri non impugnatam recuperavit. Fuerunt enim, qui dicerent, libellum ipsum continere quosdam locos, qui argumento esse possint, eum scriptum esse eo tempore, quo si Xenophontis esset, scribi non potuisset. Et hac quidem in re luculente apparet, quanta saepe sit virorum doctorum de eadem re discrepantia. Nam *Schneider* pluribus argumentis diligenter conquisitis, hunc librum ante Ol. 88. annum 4. scriptum esse, itaque auctorem habere Xenophonte antiquiorem**) statuit. Contra *Weiske* Xenophontem eum statim post acceptum de exsilio nuntium scripsisse putat, quod non videri probabile iam diximus. *Bernhardy* denique, cuius rationes infra tangemus, (Synt. p. 24.) ad serius, et alio loco (p. 10.) ad Macedonicum tempus eum pertinere opinatur, quo tempore Xenophon iam diu obierat. Schneideri primum argumenta, omnium

---

*) Id etiam Schlosser (Universalhist. Uebers. d. Gesch. d. a. W. I. p. 2. p. 157.) concedit, quum dicit: „*Die Schrift über die Athenische und Spartanische Verfassung ist ganz in den oben angedeuteten Grundsätzen abgefasst.*“

**) Haud dubie, si verum est, librum scriptum esse primis belli Peloponnesiaci annis, vel etiam omnino intra istud bellum, non verisimile est, Xenophontem librum conscripsisse, qui tum temporis animum ad scribendum certo nondum appulerat. Tamen *Gail* nostrum librum Xenophonti tribuit, quamquam eum ante illius belli finem scriptum esse putat (Oeuvres complettes de Xénophon I, 1, 60.): „*Xénophon parle (III. 4.) de 400 triérarques nommés chaque année par le peuple. Les forces navales d'Athènes n'étoient donc pas alors entièrement détruites. Ce traité est donc évidemment et pour cette raison et pour d'autres encore antérieur à la fin de la guerre du Peloponnèse.*“

quidem gravissima, tamen quum a *Boeckhio* iam sint infracta (Staatshshltg. I, 343. sqq.), obiter tantum tangere sufficiat.

Primum argumentum, quo nisus est Schneider (p. 92.), est illud, libelli scriptorem uti sermone eo, ut dubitare lector non possit, maris imperium tum fuisse penes Athenienses indubitatum, quod quidem imperium Ol. 94, 3. pervenerit ad Lacedaemonios, itaque quae cap. II, 11. dicta sint, temporibus regno triginta virorum posterioribus minime convenire. Notum vero est et a Boeckhio monitum, Athenienses victoria ad Cnidum et serius illa ad Naxum reportata socios sibi obnoxios et maris imperium recuperasse.

Alterum argumentum Schneider petiit ex cap. II, 18.: *κωμῳδεῖν δ' αὖ καὶ κακῶς λέγειν τὸν μὲν δῆμον οὐκ ἐῶσιν, ἵνα μὴ αὐτοὶ ἀκούωσι κακῶς, ἰδίᾳ δὲ κελεύουσιν, εἴ τίς τινα βούλεται*, quae verba, quum totus populus Atheniensis irrisus fuerit ab Aristophane in Equitum dramate edito Ol. 88, 4. et Vesparum altero Ol. 89, 2. tantummodo scribi potuisse dicit tempore Ol. 88. anno 4. anteriore. Huic loco adiunxit alium, qui paulo post legitur: *ὀλίγοι δέ τινες τῶν πενήτων καὶ τῶν δημότων κωμῳδοῦνται, καὶ οὐδ' οὗτοι, ἐὰν μὴ διὰ πολυπραγμοσύνην καὶ διὰ τό ζητεῖν πλέον τι ἔχειν τοῦ δήμου.* Haec Xenophontem amantissimum Socratis discipulum, qui bene nosset et in scriptis adeo reliquis saepius memorasset Socratem unum *δημοτῶν καὶ πενήτων*, in quem minime cadebat *ἡ πολυπραγμοσύνη* et *τὸ ζητεῖν πλέον τι ἔχειν τοῦ δήμου*, traductum publice in scena non solum ab Aristophane in dramate Nubium edito Ol. 89, 1., sed etiam ab Ameipsia et Eu-

polide, comicis poëtis, Xenophontem, inquam, haec, postquam Socrates ab illis publice irrisus fuerit, scripsisse, minime probabile visum est Schneidero. Utrumque hoc argumentum ita refutatum est a Boeckhio, ut nullum dubium sit, Xenophontem nostrum librum etiam post triginta virorum imperium potuisse scribere. Mihi adeo ex his ipsis locis, praecipue ex priore, argumentum duci posse videtur, librum post illud tempus necessario esse scriptum, qua de re infra exponam.

Tertium deinde argumentum petiit Schneider ex illo loco (cap. I, 17.), ubi portorium ἑκατοστὴ commemoratur inter reditus Atheniensium, dicitque, illa centesima Ol. 91, 1. abolita, institutam fuisse vicesimam (εἰκοστήν). Docuit vero Boeckh (l. l. et p. 348.), haec vectigalia fuisse plane diversa, illam centesimam quidem in Piraeeo, vicesimam autem in sociis civitatibus fuisse exactam.

Sequitur quartum argumentum, quo omnium maxime confisus est Schneider. Illud praebuit ei locus cap. I, 16., ubi iudicia referuntur, quae subire Athenis socii insulares cogebantur, quamdiu Athenienses maris imperium tenuerunt, quo amisso libertatem iudiciorum insulares receperint. Eandem sententiam iam prius protulerat *Manso* (Sparta, vol. II, p. 496.): „*Wer auch der Verfasser der kleinen Schrift de republ. Atheniensium sein mag, Xenophon selbst oder ein Anderer, so viel ist klar, dass er von Zeiten spricht, in welchen Athen noch die volle Gewalt über die zinsbaren Städte ausübte.*“ Sed hoc quoque argumentum non admodum magni momenti esse, monstravit Boeckh (p. 344.). Quamvis enim luculenta eius rei do-

cumenta non exstent, tamen non improbabile est, Athenienses maris imperio sociisque primum Cononis, deinde Chabriae et Timothei victoriis recuperatis socios iterum coegisse, ut Athenis iudicia subirent.

Praeterea offendit Schneiderum locus cap. III, 4., ubi de quadringentis trierarchis sermo est, in quo iam antea haeserat *Gail* (v. supra p. 79.). Hic quoque locus argumento esse ei visus est, nostrum librum scriptum esse ante Ol. 91. Sed haec quoque eius argumentatio refutata est a Boeckhio (Staatshshltg. II, 89. cf. I, 290.).

Vehementer autem miror, Schneiderum his ita diligenter et speciose commentis ipsum minorem fidem habuisse, quam veteris cuiusdam Grammatici anonymi, hominis plane obscuri, auctoritati. Haec sunt ipsa Schneideri verba (p. 95.): „*Unum est, quod rationibus huc usque disputatis opponi posse videtur, auctoritas nempe veteris Grammatici anonymi, cuius locum excerptum posuit Larcher ad Herodot. II, p.* 540. *versionis gallicae in altera editione:* Δημότης. *οἱ Ἴωνες τὸν τῶν πολλῶν ἕνα. Οὕτως* (τῶν δὲ Ἀττικῶν) *μόνος Ξενοφῶν. Οἱ δ' ἄλλοι τοῦτον μὲν δημοτικόν, δημότην δὲ τὸν τοῦ αὐτοῦ δήμου, ὡς φυλέτην τὸν τῆς αὐτῆς φύλης. Quae si vera sunt, Xenophonti libellus eripi non potest*“ cet. At primum valde dubium est, num nostro libro (cap. I, 4.) δημόται vera sit scriptura. Exhibent enim, id quod Schneider ipse adnotavit, Codd. Pariss. A. et C., quorum ille codicum Parisiensium optimus habetur, ἰδιῶται. Deinde vero etiam apud Aristophanem legitur haec eadem vox eodem, quo nostro loco, significatu, Pac. v. 920.

Illis omnibus Schneideri argumentis ita refutatis, tamen Boeckh eo nondum finitam esse quaestionem ipse professus est (l. l. p. 346.), satisque habet negasse (l. l. p. 49.), ea, quae eo usque contra genuinam nostri libri indolem disputata essent, sufficere ad eum Xenophonti abiudicandum. Ego quidem nonnullos ipsius libri locos adiungere posse mihi videor, ex quibus appareat, eum reapse post triginta virorum imperium scriptum esse.

Christiano ad Schneideri rationes novo argumento muniendas id contribuere visum est, quod triginta virorum imperium ne verbo quidem commemoratur. Verum est, illud non nominari apertis verbis, sed haud scio an aliquoties tecte id significaverit scriptor. Etenim haec, nisi fallor, erat Xenophontis mens. Quum admodum studiosus esset reipublicae, in qua penes unum aut penes pancos nobiles omnium summa rerum est, eximie laetatus erat, quod Athenis a Lacedaemoniis captis triginta virorum imperium ibi institutum fuerat, atque cupiverat, ut haec reipublicae forma, Laconicae, quam maxime adamaverat, simillima, servaretur. Attamen quum illorum scelera probare non posset aegreque ferret, quod nullo dedecore se abstinuerant, non ausus est, eorum imperium, cuius nequaquam iam obliti fuerant Graeci, apertis verbis significare et commendare, sed satis habuit, tecte interdum id designare. Huc statim exordium libri pertinere mihi videtur: *ὅτι μὲν εἵλοντο τοῦτον τὸν τρόπον τῆς πολιτείας, οὐκ ἐπαινῶ διὰ τόδε, ὅτι, ταῦθ' ἑλόμενοι, εἵλοντο, τοὺς πονηροὺς ἄμεινον πράττειν ἢ τοὺς χρηστούς*, ad quae verba rectissime adnotat Weiske: *„Quaeri potest, de quo tempore auctor τὸ εἵλοντο velit intelligi, et quam aliam reipublicae*

formam ex ipsius mente debuerint instituere. Equidem existimo, eum significare, Athenienses Olympiadis 94. initio non debuisse abrogato imperio paucorum pristinam licentiam revocare, sed servare similitudinem reipublicae Spartanae.“ Ego quoque, quamquam quae Weiske in prolegg. p. 56. de hoc libro protulit et quae a Schneidero (p. 80.) refutata sunt, nunquam probaverim, idem sentio. Nam quum verbum αἱρεῖσθαι eam contineat notionem, ut duarum vel plurium rerum optio alicui fiat, quarum unam praefert,*) illi tantum tempori post captas Athenas accommodatum esse mihi videtur. Etenim de Solonis aut Clisthenis institutis, quae ne Xenophon quidem vituperaverit, nemo erit, qui illud intelligat. Non magis id cadit in Periclis tempus. Nam quamquam ille aliqua instituta mutaverat atque post eius mortem populi mores certis de causis ex optimis et praeclarissimis mox in peiores versi erant, tamen dicere non licet, commutatum tum fuisse τὸν τρόπον τῆς πολιτείας; sed potius sensim et improviso nobilissimum populare imperium versum est in libidinosum multitudinis dominatum. At bello Peloponnesiaco finito, quum Athenae a Lacedaemoniis, qui gaudebant statu reipublicae ex regali et optimati forma mixto, captae essent, necessario commutatio quaedam generis reipublicae erat efficienda. Iam sub finem belli Athenis paucorum potentia cum plebis imperio certaverat: rerum potiti sunt quadringenti viri (Ol. 92, 1. = 411. a. Chr.), quibus post quatuor menses sublatis

*) Illam notionem inprimis nostro loco habere verbum αἱρεῖσθαι, iam inde patet, quod ter est repetitum.

quinquies mille viri successerunt (de quibus cf. Wachsmuth Hellen. Alterth. I, 2, 205.); his quoque mox sublatis (cf. Hermann, Lehrb. d. griech. Staatsalterth. §. 167. n. 11.) integrum populo imperium restitutum est (Ol. 93, 2. = 407. a. Chr.); Athenis captis (Ol. 94, 1. = 404. a. Chr.) triginta viri instituuntur; quibus a Thrasybulo fugatis, alii decemviri rerum potiuntur; utrique contra Thrasybulum a Spartanis auxilium petunt; Pausanias, Lacedaemoniorum rex, pacem componit (Ol. 94, 2.). Nunc Atheniensibus optio datur dominatus populi et imperii optimatium. Speraverat, credo, Xenophon, fore ut hoc Laconicae reipublicae generi simile eligerent; sed praetulerunt populare imperium, *εἵλοντο τοῦτον τὸν τρόπον τῆς πολιτείας.*

Tum etiam ille locus, qui est cap. II, 15. 16., probare mihi videtur, Xenophontem nostrum librum post triginta virorum imperium scripsisse, quamquam alii ex eodem loco contrarium probare voluerunt. Disputat enim ***Delbrueck*** (Xenoph. p. 144.), hunc haud dubie locum respiciens, ita: „*Nimmt man hiezu die Kriegsvorfälle, auf welche als jedermann gegenwärtige angespielt wird: so entsteht die Vermuthung, dass die Schrift dem ersten Jahrfünft des peloponnesischen Krieges angehöre.*“ Et ***Boeckh*** (p. 345.): „*Wenn der Verfasser vom Preisgeben des eigenen Landes spricht, wird man freilich stark an die ersten Zeiten des Peloponnesischen Krieges erinnert; aber können denn solche Gedanken nicht Grundsätze sein, welche aus der frühern Geschichte gezogen waren?*“ Mihi vero hic locus non modo non primos belli Peloponnesiaci annos spectare, sed adeo

manifestum argumentum libri post triginta virorum imperium scripti continere videtur. Nam verum quidem est, Atheniensis primis illius belli annis agros suos hostibus diripiendos permisisse, atque rusticos homines undique in Urbem concurrisse, sed nostro loco non tam de solis agris, quam de tota terra Attica relinquenda *) agitur, quemadmodum in Persico bello factum est, quo mari se suaque crediderunt Athenienses. Tum etiam noster scriptor dicit: *τὴν οὐσίαν ταῖς νήσοις παρατίθεντας.* Id vero in bellum Peloponnesiacum minus videtur quadrare; tum enim, ut memoriae proditum est a Thucydide (II, 14.), *ἐξεκομίζοντο* (sc. Athenas) *ἐκ τῶν ἀγρῶν παῖδας καὶ γυναῖκας καὶ τὴν ἄλλην κατασκευήν, ἥ κατ' οἶκον ἐκρῶντο, καὶ αὐτᾶν τῶν οἰκιῶν καθαιροῦντες τὴν ξύλωσιν*, et tantummodo *πρόβατα καὶ ὑποζύγια ἐς τὴν Εὔβοιαν διεπέμψαντο, καὶ ἐς τὰς νήσους τὰς ἐπικειμένας.* Totius autem loci nostri haec fere, nisi fallor, est sententia: Alio quoque metu carerent Athenienses, si insulam habitarent, nimirum eo, ne hostes iterum irrumperent neve Urbs a paucis iis proderetur, ut factum est per Theramenem (cf. Hermann Lehrb. d. griech. Staatsalterth. §. 167. 168.); tum etiam si insulam incolerent, impedirentur pauci, quominus contra populare imperium conspirarent; nunc vero seditionem movere facilius iis licet, sperantibus, fore ut possent hostes adducere, ut factum est a paucorum factione, qui primum Lysandri classem ab insula Samo advocarunt (cf. Raumer Vorless. üb. d. alte Gesch. I, 436.), et

*) Quamquam illo quoque tempore Atheniensibus suaserat Pericles, ut, quamdiu bellum gereretur, plane relinquerent terram (Thucyd. I, 143.).

deinde a triginta atque a decem viris, qui Spartanos contra Thrasybulum arcessiverunt. Quum vero iis non obtigerit insula, quam incolerent, nunc ita faciunt (i. e. occasione data, vel si res postulat, certissime, opinor, ita agent; vel etiam: nunc hoc iis certissimum est): imperio maris freti, insulis res suas committunt, terram vero Atticam vastari patiuntur, quum cognoverunt (γιγνώσκοντες, experientia edocti), se, si huius ipsos misereat, potioribus bonis privari. Etenim bello Persico, quum Athenis destitutis navibus se credidissent, suam potentiam non modo non perdiderunt, sed adeo eam condiderunt et muniverunt (cf. Thuc. I, 18.); nunc vero post infelicem pugnam ad Aegos flumen, quum omnes refugium quaerentes Athenas concurrissent, mox ipsi fame pressi et Athenae captae sunt, totamque maris imperium perditum est.

Deinde etiam altero Schneideri argumento, petito ex cap. II, 18., ut iam supra significavi, ad meam rem probandam me uti posse arbitror. De tota illa circumscriptione libertatis comoediae v. Wachsmuth Hellen. Alterthumsk. I, 2. p. 441. sqq. locosque ibi allatos. Irrisio certorum hominum ex quodam populi scito comoediae interdicta est (Schol. Aristoph. Ach. v. 67.) archonte Morychide (Ol. 85, 1. = 440. a. Chr.), quod tamen populi scitum iam Enthymene archonte (Ol. 85, 3. = 438. a. Chr.) sublatum est. Deinde (Ol. 89, 1. = 424. a. Chr. ex opinione Petiti) Callias, Hipponici filius, si fidem habemus Schol. Aristoph. Nub. 31., legem pertulit, ex qua vetitum esset, τὸν ἄρχοντα μὴ φανερῶς κωμῳδεῖν, sed quae lex non accurate est observata. Populum vero deridere usque ad belli Peloponnesiaci

the same philosopher in four different dramas, nor did Anaxilas regard it, who in three comedies named Plato." Sed, ut ego quidem opinor, haec, quae videatur, repugnantia optime ex nostro loco potest solvi. Dicit enim Xenophon hoc: Lege quidem vetuerunt Athenienses, quemcunque (ideoque etiam populum) nominatim derideri, sed privatim incitant poëtas, ut si quos volunt, derideant divites et nobiles. Lex igitur illa, sive fuerit populi scitum, inprimis vetuisse mihi videtur, comicos poëtas deridere populum ipsum et (quod quidem Xenophon expressis verbis non dicit) eos, qui gerant rempublicam;*) at, inquit Xenophon, poëtae illud quidem probe observare coguntur, ut populum non derideant, sed hic ipse valde delectatur, si qui divitiis vel honoribus vel nobilitate generis aut ingenii excellunt deridentur.**) Quodsi locum ita intelligimus, bene congruit cum illa lege et apparet simul, nostrum librum post eam latam scriptum esse, atque scriptorem loqui de media, quam dicunt, comoedia. De viris illis, qui praeter legem derisi sunt a poëtis, approbante populo, v. Clinton Fasti Hellen. II, introd. p. LII. et Wachsmuth Hellen. Alt. I, 2, 444. — Ne vero quis obiiciat huic sententiae, ex qua nostro loco respiciatur

*) Proprie sane quidem, si verba legis, qualia tradita sunt, consideramus, ad quemcunque pertinuisse videtur, inprimis autem populum recuperatam libertatem studiose custodientem et magistratus eam spectasse verisimillimum est.

**) Non opus est nostro loco coniectura Orellii, speciosa quidem et facilitate se commendante eademque Schneidero quoque probata, ex qua pro ἰδίᾳ δὲ κελεύουσιν scribendum sit: ἰδίᾳ δ' οὐ κωλύουσιν. Dicere enim vult Xenophon: excitant poëtas, nimirum applausu suo et gaudio.

finem semper licuisse videtur, qua de re v. Wachsmuth l. l. p. 172. sqq., qui hanc ob rem nostri scriptoris narrationem: κωμῳδεῖν καὶ κακῶς λέγειν τὸν δῆμον οὐκ ἐῶσιν falsam esse dicit (l. l. p. 442.). At mihi quidem non modo non falsa esse, sed adeo aliquid lucis afferre videtur aliis narrationibus. Traditum enim est ab Hermogene aliisque (cf. Clinton Fasti Hellen. vol. II, introd. p. L. LII.) legem fuisse latam, secundum Schol. Aristoph. Ach. v. 1149. ab Antimacho, ex qua vetitum esset, μὴ κωμῳδεῖν ἐξ ὀνόματος. Hanc legem sive ut Petitus vult (de legg. Attic. p. 151. sqq. ed. Wessel.), intra Ol. 97. = 392—389. a. Chr., sive ut Clinton mavult Ol. 94, 1. = 404. a. Chr. latam esse putamus, illud certum est, eam ante triginta virorum imperium non fuisse rogatam. Et hanc quidem, nisi egregie fallor, legem, quam ipsam veteri, quae dicitur, comoediae finem fecisse (non quidem solam, sed coniunctam cum aliis causis licentiae comoediae adversis) mediaeque originem dedisse puto, neque ullam aliam respexit nostro loco Xenophon. Dubitarunt quidem de ea, num unquam obtinuerit, viri docti, quia etiam post illud tempus quidam nominatim sunt derisi, ut Clinton (l. l. p. LI.): „*That law in the sense of Kuster* [qui scribit ad Plutum init.: „*lege lata vetitum erat, expresso nomine quemquam in scena comico sale perfricare*“] *either never existed at all, or had fallen into disuse in the time of Anaxandridas, who ridicules Plato by name, perhaps ten or twelve years after the supposed date of this law. Alexis, at least, paid no attention to it (if it existed through the times of the middle comedy), when he satirized by name*

the same philosopher in four different dramas, nor did Anaxilas regard it, who in three comedies named Plato." Sed, ut ego quidem opinor, haec, quae videatur, repugnantia optime ex nostro loco potest solvi. Dicit enim Xenophon hoc: Lege quidem vetuerunt Athenienses, quemcunque (ideoque etiam populum) nominatim derideri, sed privatim incitant poëtas, ut si quos volunt, derideant divites et nobiles. Lex igitur illa, sive fuerit populi scitum, inprimis vetuisse mihi videtur, comicos poëtas deridere populum ipsum et (quod quidem Xenophon expressis verbis non dicit) eos, qui gerant rempublicam;*) at, inquit Xenophon, poëtae illud quidem probe observare coguntur, ut populum non derideant, sed hic ipse valde delectatur, si qui divitiis vel honoribus vel nobilitate generis aut ingenii excellunt deridentur.**) Quodsi locum ita intelligimus, bene congruit cum illa lege et apparet simul, nostrum librum post eam latam scriptum esse, atque scriptorem loqui de media, quam dicunt, comoedia. De viris illis, qui praeter legem derisi sunt a poëtis, approbante populo, v. Clinton Fasti Hellen. II, introd. p. LII. et Wachsmuth Hellen. Alt. I, 2, 444. — Ne vero quis obiiciat huic sententiae, ex qua nostro loco respiciatur

*) Proprie sane quidem, si verba legis, qualia tradita sunt, consideramus, ad quemcunque pertinuisse videtur, inprimis autem populum recuperatam libertatem studiose custodientem et magistratus eam spectasse verisimillimum est.

**) Non opus est nostro loco coniectura Orellii, speciosa quidem et facilitate se commendante eademque Schneidero quoque probata, ex qua pro ἰδίᾳ δὲ κελεύουσιν scribendum sit: ἰδίᾳ δ' οὐ κωλύουσιν. Dicere enim vult Xenophon: excitant poëtas, nimirum applausu suo et gaudio.

media comoedia, quod cap. I, 13. commemorantur χορηγίαι, quum Schol. Aristoph. Ran. 406. narret, sublatam fuisse choragiam a Cinesia. Verum quamquam per aliquos annos sublatus erat chorus, tamen choragia, cui etiam aliae res erant curandae, remansit et in comoedia quoque non diu post iterum apparuit (cf. Boeckh, Staatshshltg. d. Ath. I, 493.).

Tum quod Schneider ex iis, quae cap. II, 18. s. fin. dicta sunt, coniecit, Xenophontem non posse scripsisse librum post Ol. 89, 1., quia illo tempore Nubium fabula fuerit edita, in qua Aristophanes perstrinxerat Socratem, id recte ita refutavit Boeckh, ut diceret, primum Xenophonti, si fortasse quadraginta annis post Nubium fabulam actam hunc librum composuerit, quum omnia essent mutata, non fuisse cogitandum de Socrate;*) tum vero etiam neminem, ne intimum quidem Socratis, potuisse negare, eum populo, cui adeo adversarius erat, excellere (πλέον τι ἔχειν τοῦ δήμου) voluisse. Fortasse etiam statuere possumus, Xenophontem revera respexisse Socratem, non quidem illis verbis: ὀλίγοι δέ τινες τῶν πενήτων καὶ τῶν δημοτικῶν (quae Hermann usque ad κωμῳδουμένους delenda censet), sed proxime antecedentibus: ἢ πλούσιος ἢ γενναῖος ἢ δυνάμενος, non quidem, quasi eum inter divites et potentes numeret, at inter nobiles ingenio; id certe magis consentaneum esse mihi videtur, quam si Socratem inter δημοτικούς numeret et inter πένητας; nam voces οἱ δημοτικοί et οἱ πένητες apud Xenophontem ubique et inprimis in nostro

*) Id multo etiam probabilius fit, si verum est, qua de re ego quidem non dubito, Xenophontem in mente habuisse mediam, quae dicitur, comoediam.

libro habent eclogam notitiam admodum; dicit quidem Xenophon ipse, fuisse Socratem pauperem, at non enim dicit πάνητα; sed (Mem. I, 2, 1.) παυὺ μικρὰ κεκτημένον. Arbitror praeterea etiam, Xenophontem respicere Socratem, quum paulo post (§. 19.) dicit: ἔνιοι, ὄντες ὡς ἀληθῶς τοῦ δήμου τὴν φύσιν, οὐ δημοτικοί εἰσι, atque fortasse etiam eius iniustam accusationem capitisque damnationem verbis paulo antea positis: τοὺς δὲ χρηστοὺς μισοῦσι μᾶλλον· οὐ γὰρ νομίζουσι, τὴν ἀρετὴν αὐτοῖς πρὸς τῷ σφετέρῳ ἀγαθῷ πεφυκέναι, ἀλλ' ἐπὶ τῷ κακῷ. Sed mitto hoc argumentum, quod et incertius est et minoris momenti.

Ad meam sententiam probandam ille deinde locus facere mihi videtur, qui est cap. I, 20. s. fin.: οἱ δὲ πολλοὶ ἐλαύνειν εὐθέως οἷοί τε ἐσβάντες εἰς ναῦς, ἔστε ἐν παντὶ τῷ βίῳ προμεμελετηκόνες. Notum enim est, et Isocratis testimonio*) comprobatum, per totum fere bellum Peloponnesiacum Athenienses peregrinis et servis usos fuisse remigibus, eosque demum finito ipsi cives Athenienses remiges esse coeperunt (cf. Boeckh, Staatshshltg. I, 291.). Quod quum ita sit, consequitur, librum, de qua quaestionem instituimus, post triginta virorum imperium esse scriptum. Veniat vero fortasse cuipiam in mentem, nostro loco scriptorem loqui non de longis, sed de mercatoriis navibus remigandis, quia antea

*) Eius verba sunt orat. de Pace c. 16.: καὶ τότε μὲν (bello sc. Peloponnesiaco et antea) εἰ τριήρεις πληροῖεν, τοὺς μὲν ξένους καὶ τοὺς δυνάμους ναύτας ἐσεβίβαζον, τοὺς δὲ πολίτας μετ' ὅπλων ἐξέπεμπον. Νῦν δὲ τοῖς μὲν ξένοις ὁπλίταις χρώμεθα, τοὺς δὲ πολίτας ἐλαύνειν ἀναγκάζομεν.

(§. 19.) dixerat, Athenienses didicisse remigandi artem διὰ τὴν κτῆσιν τὴν ἐν ταῖς ὑπερορίοις καὶ διὰ τας ἀρχὰς τὰς εἰς τὴν ὑπερορίαν. Sed extremis verbis sine ulla dubitatione de triremibus loquitur, ita fere sentiens: primum propter possessiones suas transmarinas mercatorias naves, deinde vero etiam corbitas difficiliores remigatu propellere didicerunt, unde factum est, ut nunc peritissimi sint longarum navium remiges. Quamobrem verba ἐμελέτησαν δὲ οἱ μὲν πλοῖον καυβερνῶντες, οἱ δὲ ὁλκάδα, οἱ δ' ἐντεῦθεν ἐπὶ τριήρη κατέστησαν, non, ut Hermann vult, teste Sauppio (l. l. p. 14.), eiicienda esse mihi videntur, sed retinenda, quum transitum faciant a mercatoriis navibus ad longas. Loqui autem scriptorem de triremibus, patet etiam ex cap. I, 13.

Aliud deinde argumentum duci potest ex eo, quod ubique pauperes oppositi sunt divitibus, quod minus quadrare mihi videtur in tempora illius belli. Quum enim Atheniensium respublica maxime floreret et vigeret, atque etiam per totum fere bellum Peloponnesiacum inter nobilium et plebeiorum facultates non tantum discrimen erat, ut talis oppositio inter pauperes et divites exsistere posset, qualis in nostro libro apparet. Tum omnes cives sine detrimento rei familiaris poterant operam dare artibus neque impediebantur, quominus artem gymnasticam et musicam exercerent,*) id quod eo tempore, quo liber quaestionis scriptus est, non amplius potuerunt, ut apparet ex cap. I, 13.,**) quo loco sequendam esse puto

*) De tota re cf. Schlosser, Universalhist. Uebers. d. Gesch. d. a. W. I, 2, p. 98.; Raumer Vorless. üb. d. a. Gesch. II, 146. al.

**) Cf. Christian vers. German. p. 1309. n. 3.

Orellii emendationem: τοὺς δὲ γυμναζομένους αὐτόθι καὶ τὴν μουσικὴν ἐπιτηδεύοντας καταλέλυκεν ὁ δῆμος, οὐ νομίζων, τοῦτο οὐ καλὸν εἶναι, γνοὺς δὲ, ὅτι οὐ δυνατὸς ταῦτά ἐστιν ἐπιτηδεύειν. Et huic quidem loco, si ita eum scribimus, facillima adhibita emendatione, satis lucis affertur ab alio Xenophontis loco, qui est in libro de Vectig. IV, 52.: οἵ τε γὰρ ταχθέντες γυμνάζεσθαι πολὺ ἂν ἐπιμελέστερον πράττοιεν τὰ ἐν τοῖς γυμνασίοις τὴν τροφὴν ἀπολαμβάνοντες πλείω ἢ ἐν ταῖς λαμπάσι γυμνασιαρχούμενοι.

Porro ad meam rem probandam pertinere mihi videtur locus cap. II, 8., ubi de confusa Atheniensium lingua sermo est. Hoc loco etiam Bernhardy (Synt. p. 10.) usus esse videtur ad probandam opinionem, pertinere nostrum librum ad tempus Macedonicum. Primis enim belli Peloponnesiaci annis non recte ita dicere potuit scriptor, quia tum nondum tanta fuit consuetudo inter Athenienses et gentes barbaras; pertinere hoc videtur potius vel ad ultimos illius belli annos, vel potius, ratione ceterorum argumentorum de tempore scriptionis iam allatorum habita, ad tempus post illud finitum. Ceterum haec linguae confusio non tam eruditorum et scriptorum fuisse mihi videtur, quam hominum vulgarium. Cf. de hac re Bernhardy l. l. et Pierson ad Moerid. praef. p. XII. et 257.

Denique non negligendum est, quod iam Boeckh (Staatshshltg. d. Ath. I, 346.) indicavit, cap. I, 10. interdicto, ex quo servos verberare non liceret, causam ironicam, de qua iam supra dictum est, adiectam esse. Quum enim vera eius rei causa bene nota esse deberet Atheniensibus Ol. 89, 1. = 423. a. Chr., quo anno

Aristophanis Nubes sunt actae (cf. Nub. v. 7.), non facile tam potuit aliquis tam turpem causam afferre; serius vero, quum plerique iam obliti essent eius rei, Xenophon, quamvis ipse bene eam nosset, facilius aliam potuit subiungere.

Iam vero etiam, quum nobis persuasissimum sit, compositum esse librum de republica Atheniensium post triginta virorum imperium*), ideoque hoc quoque temporis argumentum, quod contra scriptorem prolatum est, infractum sit, videndum est, num forte paulo certius tempus assignare possimus eius scriptioni. Primum autem id pro certo ponendum est, quod cum a Mansone et Schneidero commemoratum est, tum ex ipso libro sponte intelligitur, eo tempore, quo liber scriptus est, tenuisse Athenienses maris imperium, atque iterum subiectos habuisse socios. Quod quidem post bellum Peloponnesiacum primum debebant Cononi. Is enim quum a Persis adiutus classem instituisset et proelio ad Cnidum Lacedaemonios vicisset (Ol. 96, 3. = 394. a. Chr.), Athenarum muri sunt refecti, maris imperium restitutum sociique recuperati. Sed hoc tempore librum, de quo quaerimus, scriptum esse non contenderim. Nam primum Xenophon tum nondum quietum refugium reperisse videtur, ubi procul a negotiis et tumultu belli atque Urbis umbratilem vitam degeret, tum vero etiam Athe-

*) In eo consentit etiam Wachsmuth (Hellen. Alt. I, 2, 270.): „*Die Abhandlung vom Staate der Athener ist, was die Zeit betrifft, hierher passend* (nempe in tempus post Ol. 95, 3. vel 4. = 398. vel 397. a. Chr., quo anno Nicomachus leges recens scriptas perfecerat), *aber ihr Gehalt ist noch verdächtiger als der Name des Verfassers.*“

nienses illo tempore sociis operoso labore recuperatis nondum tam superbe tamque libidinose usi fuisse videntur, quam nostro libro significantur; denique etiam illud imperium Atheniensium recens partum non diu viguit, nam iam Ol. 98, 2. = 387. a. Chr. pace Antalcidis, quae dicitur, factum est, ut plerosque socios amitterent et momento illo superiore, quod mari sibi iterum paraverant, pro lubitu uti non possent. Quamobrem non modo tutius, sed adeo certissimum esse existimo, Xenophontem scripsisse nostrum librum eo tempore, quo Athenienses suum imperium maris et sociorum ad pristinam fere gloriam evexerant. Id factum est victoria a Chabria ad Naxum reportata (Ol. 101, 1. = 376. a. Chr. ex Clintonii, vel Ol. 100, 4. = 377. a. Chr. ex Corsini sententia), et deinde per Timotheum et Iphicratem. Tum Athenienses plurimos socios sibi coniunxerunt, qui pecunia eos adiuvarent. Fuit sane quidem ab initio illorum condicio multo melior, quam prius; revera erant Atheniensium socii, non obnoxii, sed non diu hac libertate fruebantur; in dies enim superbius iis utebantur Athenienses (cf. Boeckh Staatshshltg. I, 450. sq.), donec nimis valde oppressi iugumque, quod ab initio quidem sponte sibi imponi passi fuerant, nunc quum gravius esset, excussuri bellum sociale, quod dicitur, moverunt (Ol. 105, 3. — 106, 1. = 358 — 356.). Nihil ergo impedire videtur, quominus putemus, illo quoque tempore Athenienses socios Athenas in ius ire coegisse.

Paulo etiam certius tempus scriptionis libri indicare mihi videtur locus cap. II, 17., ubi dicit Xenophon, facile negligere Athenienses pactiones et sacramenta. Non dubito quidem, quin certam quandam rem respexe-

rit, sed quam difficile sit, certi aliquid de ea proferre, quivis facile intelligit; attamen, quantum coniectura assequi possum, non improbabile esse mihi videtur, Xenophontem fortasse illam pactionem in mente habuisse, quae inter Athenienses et Lacedaemonios Ol. 101, 3. = 374. a. Chr. convenit, quae simulac facta est, Spartanis extemplo a Timotheo laesa esse videbatur. Id narrat ipse Xenophon Hist. Gr. VI, 2, 2.

Quodsi praeterea considero locum cap. III, 5. de tributis et quod Boeckh (Staatshshltg. I, 452. cf. p. 344. sq.) docuit, id optime convenire tempori intra Ol. 100. et 105., atque rependo, minime probabile esse, Xenophontem hunc librum scripsisse, quum iam de exsilio revocatus esset, id quod ei ex sententia Kruegeri (de Xenoph. vit. quaestt. critt. p. 27.), cui nescio quid possit opponi, Ol. 102, 4. = 369. a. Chr. contigit, mihi quidem verisimillimum est, scripsisse Xenophontem librum de republica Atheniensium circa Ol. 102, 2. = 371. a. Chr., haud diu post pugnam Leuctricam et paulo antequam Elei Scilluntem, ubi eo usque vixerat, invaserunt, qua re ipse quoque Xenophon Scilluntem relinquere coactus est (cf. Krueger l. l. p. 26.).

5. *De forma libelli et de dicendi genere.*

Gravissime vero accusatus est nostri libri auctor de scribendi negligentia. Iam *Weiske* (p. 55.) foede mutilatas et confusas esse plerasque libri partes declaravit. *Schneider* (p. 79.) totum scriptum scabrum, hiulcum, lacerum et lacunosum dicit, et alio loco (p. 81.) obscurum per brevitatem et totum ab orationis Xenophonteae forma, id est, simplicitate, perspicuitate et na-

tiva elegantia alienum et diversum. Consentiunt cum his *Delbrueck* (Xenoph. p. 145.), qui tamen paulo mitius agit, *Christian* (praef. ad vers. German. p. 1300.) et *Meier* in censura editionis Haasianae libelli de republ. Lacedd. (Hall. L.-Z. 1834. N. 141. p. 514.). *Haase* quoque (prolegg. ad libr. de republ. Lacedd. p. 1.) nostrum incerti auctoris libellum et oratione et argumento longe superari dicit altero libro, qui est de republica Lacedaemoniorum.

Quodsi diligenter neque quidquam praeiudicati afferentes nostri libri dispositionem consideraverimus atque dicendi genus, non poterimus infitiari, paulo licentius, dissolutius et in aliquibus partibus etiam obscurius eum scriptum esse, quam ut solet Xenophon. Videmus enim, singulas libri partes copiosius esse expositas, veluti eas, in quibus agitur de iure, quod sit omnibus Atheniensibus aequum, de maritimo eorum imperio atque de sociorum condicione, alias contra longe brevius et adstrictius, de quibus plura poterant exspectari, veluti de sublata arte gymnastica et musica, de copiis Atheniensium terrestribus, de quibus pluribus exponere optime convenisset Xenophonti, bellicae artis peritissimo. Aliae denique partes tam abrupte sunt scriptae, ut non pateat, quomodo cum antecedentibus cohaereant, atque videantur alieno loco posita esse, ut cap. I, 19., ubi non satis apparet, quorsum pertineant verba *πρὸς δὲ τούτοις*, quum plane nihil antecedat, quocum apte possint coniungi; cap. II, 2—8., quum locutus sit de maris imperio, pergit parr. 9. 10. loqui de sacrificiis et balineis, et par. 11. iterum de fructu, quem ex maris imperio capiant Athenienses, agit.

In tota quoque scribendi ratione negligentiam quandam non possumus non agnoscere, quae alibi non est Xenophonti propria, et desideramus illam elegantem simplicitatem, quae in omnibus reliquis Xenophontis scriptis conspicitur. Saepe enim singulae enunciationes non bene inter se sunt nexae, interdum eadem verba repetita, interdum contra aliqua verba deesse videntur. Quid igitur statuendum est? Num putemus, Xenophontem re vera ita a se ipso discrepasse, tamque negligenter scripsisse, quam nusquam alibi? „*Quae quum reputamus*, inquit Schneider, *necesse est, ut in eam suspicionem incidamus, totum libellum excerptum esse a grammatico aliquo ex maiore scriptoris Attici de politiis opere.*“ Quid igitur? Omniane, quae antea disputavimus, vana sunt? Nego et pernego. Certissime mihi quidem persuasum est, ut iam significavi, Xenophontem re vera nostrum librum scripsisse. Scripsisse, inquam, at non ipsum edidisse. Hoc enim scriptum, quod nunc tenemus, nihil est, credo, nisi prima libri designatio, singulis locis iam explanata et amplificata. Curiosior igitur erat Xenophon, hoc scribens, multo magis ad argumentum et ad sententias exprimendas, quam ad orationem ornandam et verba eligenda; nondum curaverat omnia apte inter se nectenda atque commodissimo loco quaeque ponenda. Antea enim voluit singulos locos exponere; sed ne hos quidem omnes illustravit, ita ut non aequa sit singularum partium ratio, sed aliae longiores, aliae breviores. Non dubito v. c., quin in mente habuerit, plura verba facere de terrestri Atheniensium exercitu; nam quum semel sibi proposuisset, Athenienses vituperare, in hac quoque re Xenophon, artis

bellicae peritissimus, facili negotio fuisset reperturus, quae reprehenderet. Litteris igitur, suspicor, sibi consignaverat: copiae Atheniensium terrestres, quas non bene se habere putant, re vera ita sunt, ampliorem horum expositionem in aliud tempus differens; aeque etiam in ceteris locis, quos supra indicavi. Hoc si verum est, qua de re ego quidem non dubito, intelligitur etiam, cur nemo fere veterum scriptorum nostri exigui libelli mentionem faciat, qui plerisque fortasse ignotus mansit, nisi quis forte aut casu eum nactus est, aut de industria quaesivit. Intelligitur vero etiam, unde venerit illa „*rasche Kombination und jugendliche Anhäufung von Urtheilen*," quae Bernhardyo (Synt. p. 24.) argumentum praebuit, pertinere librum ad tempus Macedonicum. Neque etiam nunc opus est, ut putemus, quod Hermann atque Sauppe voluerunt, non omnia esse a Xenophonte scripta, sed plura ab interprete quodam adiecta.

Quodsi aliquis quaerit, quid causae cohibuerit Xenophontem, quominus librum, cui nondum accesserat extrema manus, ederet, haud facile quidem est, siquidem omnino fieri potest, certi aliquid de hac re proferre; attamen meam sententiam, certe, ut opinor, non plane improbabilem, dicere non dubito. Designaverat fortasse Xenophon, ut iam indicavi, hunc librum paulo post pugnam Leuctricam, fortasse quum Athenienses, si Xenophonti (Hist. Gr. VI, 5, 1.) fidem habemus, operam darent, ut socios Spartanorum Peloponnesiacos ab illis abalienarent sibique conciliarent (qua de re v. Wachsmuth Hellen. Alt. I, 2, 290.). Qua re nescio an magis etiam indignatus Atheniensibus, qui non deposuerunt studium Spartanis nocendi, nostrum librum adumbravit.

Mox autem, priusquam totum exponere ei licuit, Elei invaserunt Scillunta, eumque illud oppidum relinquere coegerunt, qua re impeditus est, quominus statim extremam manum imponeret libello. Paulo vero post Athenienses, metuentes, ne Thebani ipsis superiores fierent, cum Spartanis pacem fecerunt simulque Xenophontem de exsilio revocaverunt. Nunc gratiae potius ei habendae erant Atheniensibus, itaque non amplius de huius libri perfectione et editione cogitabat, sed scripsit potius, quamquam ipsum Athenas rediisse non verisimile est (cf. nostr. libr. cap. II, 20.), ut dignum se ostenderet civitate sibi restituta, Corinthi librum de Vectigalibus (*περὶ πόρων*), quo spectabat res Atheniensium ita emendandas, ut socii, de quorum condicione nostro libro vehementer queritur, minus premerentur. Post eius demum mortem quidam eius familiae socius librum, utut erat, imperfectum edidit eique titulum *πολιτείας* inscripsit, quem Xenophon ei fortasse non dedisset. Fortasse etiam iam ante Eleorum invasionem consilium huius libri edendi abiecerat, quum, quae erat eius rerum politicarum et bellicarum sapientia, praevideret, mox Athenienses cum Spartanis pacem facturos ideoque ipsi quoque reditum in gratiam patriae cupienti tum revocationem de exsilio sperandam esse.

CAPUT III.

DE RATIONE, QUAE SIT INTER UTRUMQUE LIBRUM, DE QUO DISPUTATUM EST.

Quum iam demonstrasse mihi videar, utrumque librum, de quo singulatim exposui, sine ulla dubitatione a Xenophonte fuisse scriptum, quaeritur etiam, num aliqua et quae inter utrumque sit ratio. Consentaneum est, eos, qui diversis scriptoribus tribuunt illos libellos, nullam alterius cum altero convenientiam agnoscere. Sic *Schneider*, cuius sententiam amplexus est *Christian*, initio prolegg. ad libr. de rep. Athen. (p. 79.) ita scribit: „*Abruptum libelli huius initium ipsum statim arguit, fragmentum nos habere disputationis maioris alicuius, quam institutam fuisse suspicor de diversis rerumpublicarum in Graecia statibus inter se comparatis.*“ Et infra (p. 81.): „*Vix enim puto reperiri, qui putet, libellum hunc cum antecedente de Lacedaemoniorum republica bene et apte per ista verba, περὶ δὲ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας et quae sequuntur, coniungi posse.*“ Sed ne inter eos quidem, qui utrumque librum Xenophontis esse putant, satis constat. *Boeckh* (l. l. I. p. 48.) alterum cum altero stare et cadere iudicavit, cui contradicit *Delbrueck* (Xen. p. 148.), quamquam is utrumque Xenophontis esse negat. Idem fere, ut videtur, quod Boeckh, senserunt iam prius pauloque accuratius exposuerunt *Franciscus*

Portus (prooem. ad notas): „*Xenophon illud spectat potissimum, ut rempublicam Lacedaemoniorum laudet et eam optime institutam fuisse demonstret, Athenienses in universum vituperet in suo genere; facit igitur quasi collationem quandam et confert instituta utriusque civitatis; extollit mores Lacedaemoniorum, non deprimit Atheniensium in eo genere politiae; demonstrat leges Lacedaemoniorum recte sapienterque a Lycurgo conditas; leges Atheniensium, etsi non minus bene a Solone latas, tamen vitio plebis et turbae popularis, quae rempublicam administrabat et quae summam rerum potestatem obtinebat, quasi offusis tenebris obscuratas quodammodo fuisse.*“ — et *Camerarius* (prooem. ad vers. lat. libr. de rep. Athen.): „*Videtur haec ab autore reipublicae forma quasi e contrario fuisse privi. Nam ut ibi docuit, omnia ad virtutem tendentia usurpata fuisse, ita futilium quorundam gubernationem nunc enarrat.*“ Contra *Weiske* censet (p. 59.): „*Repudianda est illa Camerarii aliorumque sententia, qui statuunt, hanc Atheniensium rempublicam antecedenti Lacedaemoniorum oppositam esse. Semel hanc commemorat auctor I, 11., et tacite de ea fortasse cogitavit aliquoties, ut cum oligarchiam laudat. Quodsi eam tacita significatione ubique laudare voluisset, certo omisisset nonnulla, quae ansam praebere possunt Laconica vituperantibus, ut I, 13. verba καὶ τὴν μουσικήν.*“

Tamen, quamquam concedo, quod iam indicavi, similis utriusque libri inscriptionis plane nullam habendam

esse rationem, minime repudianda esse mihi videtur sententia Francisci Porti et Ioachimi Camerarii. Nam ab aliis, inprimis a Mansone et Christiano, iam observatum est, in libro de republ. Lacedd. Xenophontem saepissime respicere Atheniensium rempublicam. Nusquam quidem nominatim eam commemorat, sed tecta quadam et tacita significatione eam reprehendit, quum laudibus efferat instituta Lycurgica, simul fere ubique addens, ea contraria esse aliarum rerumpublicarum institutis; nam plerisque omnibus locis verbis οἱ ἄλλοι Ἕλληνες, οἱ ἄλλοι, αἱ ἄλλαι πόλεις aperte inprimis Athenienses significantur. Contra in altero libro, qui est de republ. Atheniensium, ea potissimum vitia obiiciuntur Atheniensibus, quibus contrariae virtutes antea maxime laudatae sunt in Lacedaemoniis. Semel, ut Weiske recte observavit, nominavit Xenophon in illo libro Lacedaemonios I, 11., ubi de communi servorum usu loquitur, de quo idem in libro de rep. Lacedd. VI, 3. locutus fuerat. Eundem Weiske concedit aliquoties tacite de Lacedaemoniis cogitasse; at equidem dixerim potius, eum semper et ubique hos in mente et cogitatione habuisse. Quod enim Weiske dicit, Xenophontem, si ubique tacita significatione eos laudare voluisset, certo nonnulla omissurum fuisse, id quorsum pertineat, me non satis intelligere fateor. Ille certe locus, quem indicavit, cap. I, 3., huc pertinere nullo pacto potest. Videtur male intellexisse locum cap. II, 1. reip. Lacedd., ubi Xenophon verbis γράμματα καὶ μουσικὴ καὶ τὰ ἐν παλαίστρᾳ universam publicam institutionem complectitur, qua Atheniensium pueri liberaliter educandi utebantur. Ex cuius loci verbis minime sequitur, Spartanos neglexisse artem mu-

sicam, quamquam verum est, Xenophontem nonnisi de arte gymnastica, quae maximae ei curae erat, accuratius exponere, musicam autem artem num Spartani didicerint, non addere. Sed non debebat fugere Weiskium, quod est notissimum, apud Lacedaemonios semper maxime honore habitam fuisse artem musicam et cum ea coniunctam saltationem et poësin lyricam (qua de re cf. Mueller Dorier II, l. 4. c. 6.). Per totum autem librum de republ. Atheniensium, ut iam supra dictum est, vituperantur Athenienses propter aviditatem nimiumque suarum rerum studium, propter imperii cupiditatem, propter iniustitiam et iniquitatem, propter neglectionem artis gymnasticae, propter nimium studium regni popularis cet. Contra in altero libro ubique laudantur Lacedaemonii propter abstinentiam et liberalitatem, propter obedientiam et obsequium erga leges et magistratus, propter iustitiam et aequitatem, propter probam artis gymnasticae exercitationem, propter tuitionem imperii regum et optumatium, propter omnes denique virtutes, quae civem ornant. Itaque his omnibus diligenter observatis et reputatis, non possum non in sententiam Porti et Camerarii discedere, oppositum esse libellum de rep. Atheniensium alteri libro de rep. Lacedaemoniorum eodem modo, quo illorum populare imperium oppositum erat horum dominatui optumatium et Xenophontis aversio patriae eius studio Spartanorum.

Reliquum est, ut unum locum tangam, qui cum hac quaestione est coniunctus. Supra iam indicatum est, Christiano non probabile visum esse, Xenophontem a Lacedaemoniis comiter hospitio exceptum tam acerbe scripsisse. Quaeritur igitur, quid moverit Xenophontem, ut libro de republ. Lacedd. pleno amoris et admirationis

opponeret alterum librum plenum vituperationis, ne dicam odii, et ironiae. Haec est mea sententia: Xenophon odium patriae secum tulerat in exsilium; quo diutius inter nobiles amicos Spartanos vixit, eo carior ei facta est altera illa patria, quae Athenis eiectum liberaliter exceperat magnamque ei habebat institutorum et morum commendationem, eoque felicior sibi visus est in tranquilla sua et umbratili solitudine vivens. Non potuit pectore abscondere amorem suum et admirationem: quae singulis ceterorum suorum librorum locis, uti ferebat occasio, egregie iam laudaverat, ea in unum coniunxit, praesertim quum speraret, fore ut eo simul ceteris Graecis aliquid utilitatis afferre possit, scripsitque librum de Lacedaemoniorum republica.

Certo autem nunquam plane deposuerat animum ab Atheniensium republica alienum; servavit eum, quum videret, ad quantam pravitatem studium popularis imperii adduxerat Athenienses, atque nullam salutem sperandam esse morum eorum emendandorum et imperii popularis abrogandi. Denuo deinde excitatum est eius odium, quum rursus contra Spartanos bellum gerere coepissent Athenienses; memoria tenuit, quum Lacedaemoniorum instituta et mores exponeret, quam felicem hi eum reddidissent; reputavit contra, quid passus fuisset cum ipse, tum magister dilectissimus ab odio Atheniensium, quamque infelicem vitam acturus esset, si Athenis inter turbas populares et indicum calumnias ipsi infestissimas viveret.*) Non potuit a se impetrare, quin iam illum librum com-

*) Quamobrem etiam de exsilio revocatus Corinthi degere maluit quam Athenis; cf. Krueger, de Xenoph. vit. quaestt. critt. p. 31.

ponens interdum ex occulto perstringeret Athenienses. Deinde vero, quum victoria ad Naxum reportata, suum imperium recuperassent, quum paulo post pactionem cum Spartanis factam neglexisse ei viderentur (cf. p. 95. sq.), quum denique post pugnam Leuctricam etiam socios Peloponnesiacos a Spartanis avertere studerent, ut horum opes magis etiam infringerentur, tum non potuit facere, ut indignationem suam non mandaret litteris,*) et ut in Historia Graeca prima sua verba extremis Thucydidis arctissime adiunxit, ita hic quoque, rursus fortasse perlecto libro de Lacedd. rep., alterum librum huic adiunxit verbis; περὶ δὲ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας, quibus iam indicatur oppositio.**) Attamen quamvis, ut supra iam significavi, longe acerbius perstringat Athenienses, quam Lacedaemonios cap. XV. (XIV.) alterius libri, tamen moderatius indignationem suam expressit, non ita, uti alius fortasse fecisset, cuius animus aeque abhorruisset ab Atheniensibus, ut praeter veritatem augeret eorum vitia. Verum est, acerbe eos perstrinxit, sed merito atque ita, uti Socratis studium ab eo poposcit, neque quidquam in iis reprehendit, quod non ubique et constanter vel in Atheniensibus, vel in omnibus, quoscunque

*) Itaque libellum de republ. Athen. non diu post alterum librum de republ. Lacedd. scriptum esse puto, cuius tempus, nisi fallor, incidit, ut iam indicavi, in tempus pugnam Naxiam proxime antecedens.

**) Iam etiam, opinor, apparet, Diogenis Laërtii verba ita posse intelligi, ut statuamus, et illum et Demetrium Magnesium, quum utrumque librum uterque bene cognitum haberet, tanquam iungendum considerasse, quod ut censeamus etiam verba Diogenis suadere videntur.

illis vitiis contaminatos videret, vituperaverit. Uti enim eius dicendi genus a nonnullis comparatum est cum fluvio, qui leni defluxu undas trahat puras, neque rupes volvat et obstructa saxa perrumpat spumens et fervens, ita eius ingenium natura est mite, apteque comparari potest cum mari, cui non incumbunt luctantes venti ingentes fluctus volventes, sed quod a leni Zephyro agitatum ibi tantum paululum tumet, ubi saxa et rupes obiectae eius cursum cohibent, mox autem lapsum suum immutatum atque quietum prosequitur.

Corrigenda.

P. 26. v. 3. l. *difficultas* pro *difficaltas*.
— 29. — 25. l. *imitandæ* pro *imitunda*.
— 33. — 20. l. *illud* pro *illad*.
— 38. — 11. l. *huc* pro *hic*.
— 39. — 17. l. *nexus* pro *nexui*.
— 40. — ult. l. διαφέρειν pro διαρέρειν.
— 44. — 27. l. *summum* pro *summam*.
— 56. — 28. l. *fatetur* pro *futetur*.
— 59. — 22. l. *amicus* pro *amicas*.
— 59. — 23. l. *quam* pro *quum*.